This is a digital copy of a book that was preserved for generations on library shelves before it was carefully scanned by Google as part of a project to make the world's books discoverable online.

It has survived long enough for the copyright to expire and the book to enter the public domain. A public domain book is one that was never subject to copyright or whose legal copyright term has expired. Whether a book is in the public domain may vary country to country. Public domain books are our gateways to the past, representing a wealth of history, culture and knowledge that's often difficult to discover.

Marks, notations and other marginalia present in the original volume will appear in this file - a reminder of this book's long journey from the publisher to a library and finally to you.

Usage guidelines

Google is proud to partner with libraries to digitize public domain materials and make them widely accessible. Public domain books belong to the public and we are merely their custodians. Nevertheless, this work is expensive, so in order to keep providing this resource, we have taken steps to prevent abuse by commercial parties, including placing technical restrictions on automated querying.

We also ask that you:

+ *Make non-commercial use of the files* We designed Google Book Search for use by individuals, and we request that you use these files for personal, non-commercial purposes.
+ *Refrain from automated querying* Do not send automated queries of any sort to Google's system: If you are conducting research on machine translation, optical character recognition or other areas where access to a large amount of text is helpful, please contact us. We encourage the use of public domain materials for these purposes and may be able to help.
+ *Maintain attribution* The Google "watermark" you see on each file is essential for informing people about this project and helping them find additional materials through Google Book Search. Please do not remove it.
+ *Keep it legal* Whatever your use, remember that you are responsible for ensuring that what you are doing is legal. Do not assume that just because we believe a book is in the public domain for users in the United States, that the work is also in the public domain for users in other countries. Whether a book is still in copyright varies from country to country, and we can't offer guidance on whether any specific use of any specific book is allowed. Please do not assume that a book's appearance in Google Book Search means it can be used in any manner anywhere in the world. Copyright infringement liability can be quite severe.

About Google Book Search

Google's mission is to organize the world's information and to make it universally accessible and useful. Google Book Search helps readers discover the world's books while helping authors and publishers reach new audiences. You can search through the full text of this book on the web at `http://books.google.com/`

HARVARD LAW LIBRARY
3 2044 097 726 012

DE FORMULIS

SECUNDUM LEGEM ROMANAM

A VII° SÆCULO AD XII^UM SÆCULUM

THESIM

Facultati Litterarum Parisiensi

PROPONEBAT

L. STOUFF

DOCTOR IN JURE

PARISIIS

APUD LAROSE ET FORCEL

22, VIA SOUFFLOT, 22

M DCCC XC

Varia: Rivista ital. per le sc. giur. XIII, 1 (Salvioli).

DE FORMULIS

SECUNDUM LEGEM ROMANAM

A VII° SÆCULO AD XII^{UM} SÆCULUM

IMPRIMERIE
CONTANT-LAGUERRE
BAR-LE-DUC

DE FORMULIS

SECUNDUM LEGEM ROMANAM

A VII° SÆCULO AD XII^UM SÆCULUM

THESIM

Facultati Litterarum Parisiensi

PROPONEBAT

L. STOUFF

DOCTOR IN JURE

PARISIIS

APUD LAROSE ET FORCEL

22 VIA SOUFFLOT, 22

M DCCC XC

Varia: Rivista ital. per le sci. giur. XIII, 1 (Salvioli).

INDEX OPERUM

HIC SÆPISSIME LAUDATORUM

CUM NOTARUM EXPLANATIONE.

BEAULIEU. — Deloche, *Cartulaire de l'abbaye de Beaulieu.*

BRIOUDE. — Doniol, *Cartulaire de Saint-Julien de Brioude.*

BRUNS-MOMMSEN. — *Fontes juris romani*, Friburgi in Brisgavia, 1887.

C. — *Codex Justinianeus.*

C. TH. — *Codex Theodosianus.*

CLUNY. — Bernard et Bruel, *Recueil des chartes de l'abbaye de Cluny*, IV vol..

D. — *Digesta.*

GAIUS. — *Institutes*, edente Dubois, 1881.

HAENEL. — *Lex romana Visigothorum.*

HIST. PATR. MONUM. — *Historiæ patriæ monumenta, chartarum* tomus I

LÉRINS. — Moris et Blanc, *Cartulaire de l'abbaye de Lérins.*

MARINI. — *I Papiri diplomatici.*

M. G. DIPL. — *Monumenta Germaniæ historica, Diplomata*, I, *Diplomata maiorum domus ex stirpe Arnulforum.*

M. G. L. L. — *Monumenta Germaniæ historica, Leges.*

NEUGART. — *Codex diplomaticus Alemanniæ et Burgundiæ Transiuranæ*, II vol..

PARDESSUS. — *Diplomata, chartæ*, II vol..

ROZ. — De Rozière, *Recueil général des formules usitées dans l'Empire des Francs*, III vol..

SAINT-ANDRÉ-LE-BAS. — L'abbé Chevalier, *Cartulaire de l'abbaye de Saint-André-le-Bas de Vienne*, præsertim : *Appendix chartarum Viennensium.*

SAUXILLANGES. — Doniol, *Cartulaire de Sauxillanges.*

SAINT-HUGUES DE GRENOBLE. — Marion, *Cartulaire de Saint-Hugues de Grenoble.*

SAINT-VICTOR DE MARSEILLE. — Guérard, *Cartulaire de l'abbaye de Saint-Victor de Marseille*, II vol..

THÉVENIN. — *Textes relatifs aux institutions privées et publiques aux époques mérovingienne et carolingienne*, tomus I^us^, *Institutions privées*, 1887 (*Collection de textes pour servir à l'étude et à l'enseignement de l'histoire*).

DOM VAISSETTE. — *Histoire générale du Languedoc*, tomus II^us^ novissimæ editionis.

VISIG. — De Rozière, *Formules Visigothiques inédites publiées d'après un manuscrit de la bibliothèque de Madrid*, 1854.

ZEUMER. — *Formulæ merovingici et karolini ævi* (*M. G., LL., V*, formulæ, 1886).

DE FORMULIS

SECUNDUM LEGEM ROMANAM

A VII° SÆCULO AD XII^{UM} SÆCULUM.

PROŒMIUM.

Historiam patriæ a principio repetenti gravissima quæstio obversatur, everso scilicet Romanorum Imperio, quum apud Barbaros alii mores, alia de regia potestate et de re publica sentiendi ratio, aliud jus privatum essent, quid de rebus romanis factum fuerit, utrum, Barbarie ingruente obrutæ, quasi omnino perierint, an Roma Barbaris leges et mores dederit, velut olim Græcia capta ferum victorem ceperat et artes intulerat agresti Latio. Uno verbo, unde antiquorum Galliæ nostræ institutorum primordia petenda sint, quid Romanis, quidve Germanis debeamus, de hoc summi viri jam abhinc duobus sæculis disputaverunt (1).

Hoc autem opusculum quod de formulis secundum legem romanam scripsi, quamvis de re maxime peculiari quæsiisse videar, ad illam disputationem pertinere arbitratus sum. Mihi enim fuit propositum ut inquirerem quomodo juris romani usus a VII° sæculo circiter ad XII^{UM} sæculum in formulis perviguerit.

(1) Augustin Thierry, *Considérations sur l'histoire de France*, chapitre II, controverse sur le caractère et les suites politiques de l'établissement des Franks dans la Gaule. Geoffroy, *Rome et les Barbares*, chapitre VI, De l'invasion et de la conquête de l'empire romain par les peuples germaniques : Dubos et Montesquieu. Zeller, *Origines de l'Allemagne*, livre III, chapitre VI, La Germanie mérovingienne.

De jure privato tantum disserere consilium fuit. Quod ad jus publicum attinet, præstantissimus historiæ juris scriptor cujus auspiciis hoc opusculum scribere incepi, et memoriam gratiis debitis prosequor, quæ instituta Barbari a Romanis acceperint accuratissime diligentissimeque definivit (1). Eædem fuerunt regiæ potestatis disciplina et constitutio, eadem insignia regum, iidem tituli, scilicet *viri inlustris* (2), *principis*, *patritii Romanorum* (3), *imperatoris*, *Augusti*, eædem formulæ ex imperatorum constitutionibus transcriptæ. Quin etiam, reperimus et dignitates Imperii, et aulam (cui vetus nomen *Palatium*), imo incolume fere totum regimen provinciarum, in urbibus autem eosdem magistratus, *defensorem* et *curiales*, iisdem muneribus fungentes (4). Uno verbo, vix immutato rei publicæ romanæ statu, inter novas res a Germanis illatas, una tantum digna est quæ notetur, nempe judiciarius ordo. Constituto enim novo agendi et judicandi modo, magistratui qui, more romano, pro tribunali sedebat et jus dicebat solus, consuetudo Germanorum viros liberos judiciariæ potestatis consortes, *scabinos* scilicet, adjunxit (5).

(1) Fustel de Coulanges, *Histoire des institutions politiques de l'ancienne France. La monarchie franque*, 1888.

(2) *Viros inlustres omnes Francorum reges ex stirpe Merovingorum appellatos fuisse vir doctissimus Havet refellere curavit, ac primos Pippinum, Carlomannum atque, ineunte regno, Carolum magnum hanc dignitatem usurpavisse magna vi contendit.* (*La formule N. Rex Francorum V. INL.* (*Bibliothèque de l'École des Chartes*, XLVI, 1885, p. 138, s.); D'Arbois de Jubainville, *Le titre de vir inluster dans les documents officiels de l'époque mérovingienne* (*Académie des Inscriptions, comptes-rendus*, séances du 13 et du 20 mai 1887, p. 167, 171). Fustel de Coulanges, p. 127.

(3) Waitz, *Deutsche Verfassungsgeschichte*, II^te^ Aufl., III, 1883, p. 188, s.). *Junge* Zeumer, p. 580, n. 1, Perpetuitatis *cognomine, imperatorum Romanorum instar, Visigothorum reges utebantur.*

(4) Eichhorn, *Uber den Ursprung der städtischen Verfassung in Deutschland* (*Zeitschrift für geschichtliche Rechtswissenschaft*, II, 1816, p. 171, s.). Savigny, *Histoire du Droit romain au moyen-âge* (trad. Guenoux). Kruse, *Die Kölner Richerzeche* (*Zeitschr. Savigny*, IX, 1888, germ. Abtheil., p. 152).

(5) Fustel de Coulanges, chapitre XIV, comment les hommes étaient jugés. *Nouvelle Revue historique de droit :* Beaudouin, *La participation des hommes libres au jugement dans le droit franc* (1887, p. 450, s., 557, s.; 1888, p. 122, s.), et Fustel de Coulanges, *Note sur les articles de M. Beaudouin sur la participation des hommes libres au jugement* (1887, p. 758, s.). Saleilles, *Du rôle des scabins et des notables dans les tribunaux carolingiens* (*Revue historique*, 1889, XL, p. 286, s.).

Ut ad jus privatum Romanorum veniam, res aliter se habuerunt. Nam haud secus atque olim Roma devictos et in provincias redactos populos propriis legibus stare jusserat, ita ut inter Imperii civitates nulla fere esset quæ non peculiari jure uteretur, quemadmodum Barbarorum gens quæque, dum Germaniæ silvas colebat, suis legibus erat, eodem modo, diruto Imperio, proprium jus cujusque populi fuit, ita ut Romani jure Quiritium uterentur, Barbari vero patrios mores sequerentur. Sic, quum Romanis et Germanicis legibus suus locus factus esset, quisque homo, Romanus, Salicus, Ripuarius, Gothus, Alemannus, Burgundio, Langobardus, sub lege suæ gentis vixit. Quod quidem e nonnullis exemplis perspicuum erit. Ac primum solemnitates aliæ apud Romanos, aliæ apud Germanos adhibebantur, vel in servis manumittendis, vel in rebus abalienandis, vel in obligationibus contrahendis. Romanus enim per testamentum, vel per epistolam, vel in ecclesia servos manumittebat, Francus vero ante regem per denarium, id est per pretium manumissionis a servo oblatum (1). Rursus Romanus *per cartam* seu *scripturam* res alienabat, vel obligationes contrahebat, Germanus vero diversissimis modis, aut per traditionem alicujus fragmenti rei alienatæ, veluti *per wasonem terre* (2), *per ramum* (3), *per herbam et cespitem* (4), aut *per wantonem*, *per*

(1) Jactante denario secundum legem Salicam (Append. ad Marc., 24 = Roz., 55). *Lex Ribuaria*, LVII, LVIII, 1 (*M. G., L. L.*, p. 242, s.).

(2) Si est Salichus, si est Roboarius, si est Francus, si est Gothus vel Alamannus venditor : « pone cartulam in terram, et super cartam mitte cultellum, festucam notatam, wantonem et wasonem terræ et ramum arboris et atramentarium » et in Alamanna wandilanc, et levet de terra, et eo cartam tenente dic traditionem ut supra diximus. Et adde in istorum cartulis et Baioariorum et Gundebadorum (*Cartul., Langob.*, 2, *M. G., L. L.*, IV, 595, 1 = Thévenin, 52).

(3) 944. Constat me... qui professo sum ex nacione mea lege uiuere salicham... facio tradicionem et uestituram per uuasonem terre, fistucum notatum seu cultellum et uuantonem adque ramum arboris (*Hist. patr. monum.*, I, 92) *et multa alia instrumenta.*

(4) 866. Noticia in loco venditionis : ibique veniens omo alicus nomine Rabous, et Ottellenus... in presentia bonis ominibus, una pagina de manso cum superposito a domino alico, nomine Aremberto et vendiderunt, et pretium pro oc manibus a se receperunt solibus XXXX... Sic veniens postea Rotbodus et Ottellenus per erba et cipida et andellanco... tradiderunt et manevestiti [erunt] a die presente, et facerunt, et postea... varpierunt, is presentibus (*Cluny*, I, 10).

festucam, *per andelancum* (1), *per ostium* (2) *per cultellum* (3), vel privatim, vel in judicio, *coram bonis hominibus*, *in mallo publico*. Donationes vero quas Romani vel Salici sponsis suis conferebant (licet eodem nomine appellatæ, *sponsalitiorum* scilicet), longe aliter constituebantur, quandoquidem aliæ *per cartam* vel *interveniente osculo* (4), aliæ per solidum et denarium sponsæ tradendum fierent (5). Ut cetera persequamur, si quis propter delictum suum damnabatur, pœnam publicam sustinebat, quæ suæ nationis lege irrogabatur, nisi *componere* mallet, id est pœnam pretio eadem lege statuto redimere (6). Simili ratione, in litibus et actionibus, reus quisque induciis (7) et probationibus (8) sua lege constitutis utebatur.

(1) 913. Domino fratribus Eylulfe et uxor sua Agnes, emtores, ego Vuarengaudus venditor. Constad me vobis vendo aliquit ex rebus meis... Infra as finis et terminaciones et perticationes una cum exivis et omnem suprapositum et arboribus totum vobis vendo, et secundum legem mea salica per andelaric ipsas res vobis manibus tradimus, et accepimus de vos precium... cum istipulacione subnixa (*Cluny*, I, 191). *Saint-Vincent de Mâcon*, *præfat.*, p. CXXXIII.

(2) 920. Noticia traditurіa... tradidit... ipsos mansos superius nominatus, vel mancipiis utriusque sexus, vel quicquid ad ipsos mansos aspicit... per exquisita per terra et herba et vuadio et andelango et per ostium et axadoria, et per unum servum nomen Adelgario, et per unum fistucum (*Cluny*, I, 219).

(3) Ego itaque Remigius... episcopus Argentinensis. Dono... monasteriolum... quod Rapertus episcopus, mihi per suum cultellum coram testibus tradidit (Neugart, I, 69).

(4) L. 5, C. Th., *De sponsal.*, III, 5. Esmein, *Un traité de droit syro-romain du ve siècle* (*Mélanges d'histoire du droit et de critique*, 1886, p. 416).

(5) 904? Ego Blicgario te dilectissima sponsa mea, nomen Bertasia... justa legem Salicam et consuetudinem per solida et denario visus fuero esponsasse (*Cluny*, I, 86).

(6) 878. Leo suam legem componeret... suam Alidulfus legem componat..., Segarius et Hictarius unusquisque legem suam componat (Dom Vaissette, II, 201).

(7) Ceteri vero secundum suam legem, veluti Romanus XX dies, habeant indutias (*Expositio zum Liber legis Langobardorum*, *M. G.*, *L. L.*, IV, p. 530).

(8) Et quando iurant, juxta suam legem iurent (*Capitul. ital.*, c. 14, *M. G.*, *L. L.*, I, p. 218). Repetebat adversus eum... eo quod servus suus... esse deberet... Sed ipse... dedit in responsis quod... ipse erat bene ingenuus sive Salicus... Iudicatum fuit ipsi illo ut apud duodecim homines Salicus infra noctos quadraginta et duas hoc conjurare deberet, quod ita et fecit (Roz., II, 481). — 878. Hictarius similiter fidem fecit vinculo legis suæ et Ingilbaldus secundum legem suam fidem fecit (Dom Vaissette, II, 201). — 887. Proclamavit

Nec aliter in tutelis. Nam, exempli gratia, quum iis temporibus, apud Germanos, mulieres, licet perfectæ ætatis, in tutorum potestate essent (*mundio* scilicet), Romanæ mulieres, quando puberes esse cœperant, tutela liberabantur, quum illa perpetua tutela qua veteres Romani feminas gravari voluerant, jampridem penitus exolevisset (1). Sed hac de re satis jam dictum.

Proprium autem Romanorum jus in legibus et in formulis secundum legem romanam positum est.

1° Postquam Barbari orbem romanum suæ ditionis fecerunt, nonnullos legum codices editos fuisse nemo ignorat (2). Ex his plerique ad jus germanicum pertinebant (3), adeo ut Barbarorum gens quæque proprio codice regeretur quo patriæ consuetudines ac leges includebantur. Horum vero librorum præcipuos memorare non supervacuum erit : legem scilicet Salicam quæ forte jam sub Chlodoveo scripta est (4), legem Burgundionum iisdem temporibus a rege Gundobaldo latam (unde nomen legis *Gundobadæ* ductum est). Has vero leges deinceps consecutæ sunt lex Ribuaria, lex Visigothorum (5), lexque vel *edictus* Langobardorum, quæ VII° sæculo

se de Aimone et mallavit illum de molino, quia injuste tenebat... Tunc judicatum est quod deffendere se debuisset Aimoinus cum sua requimonia et cum sua lege. Et ecce aramivit adjurare ille molino cum sua lege (*Cluny*, I, 29, 887). — 888-898. Mallavit... Walcaudum,... ipse Walcaudus... in suo responso dixit... Tunc ipsi scamini... decreverunt quod juret, cum sua lex est (*Saint-Vincent de Mâcon*, 284).

(1) Cicero, *Pro Murena*, 12; Gide, *Étude sur la condition privée de la femme*, 2e éd., p. 137, s.

Adde quod Romani sive parentum testamento, sive lege, si pupilli agnati erant, sive judicis decreto ad tutelam vocabantur, Germani autem tantum legitima agnatorum tutela utebantur : Ego... ille Judex provinciæ illius, dum... parentes... testamentarium tutorem ei non dimiserunt (Sirmond., 24 = Lindenb., 74 = Roz., 119). Heusler, *Institutionen des deutschen Privatrechts*, II, 1886, § 166, 167.

(2) *De harum legum ætate et indole*, v. : Fustel de Coulanges, p. 14, s..

(3) Brunner, *Deutsche Rechtsgeschichte*, I, §§ 39-48.

(4) *Ab anno CCCC LXXXVI ad annum CCCC LXXXXVI secundum* Dareste, *Études d'histoire de droit*, 1889, p. 386.

(5) Aug. Gaudenzi, *Un antica compilazione di diritto romano e visigoto con alcuni frammenti delle leggi di Eurico tratta da un manoscritto della biblioteca di Holkham*, 1886 (*Zeitschr. Savigny*, IX, 1888, german. Abtheil., litteratur, p. 223, s.).

conditæ fuisse creduntur, denique VIII° sæculo, ut videtur, *pactus* seu lex Alamannorum et lex Bajuvariorum. Interea, ineunte VII° sæculo, Alaricus, rex Visigothorum, et Gundobaldus, rex Burgundionum, novos juris romani codices scribi jusserant, videlicet legem romanam Visigothorum, quæ vulgo *Breviarium Alaricianum* appellatur, et legem romanam Burgundionum (vulgo *Papianum*) (1). Hi autem codices collecti sunt e jure quod in Imperio Occidentis viguerat, plurimis rebus a Codice Theodosiano repetitis, subtextis nonnullis e Gregoriano et Hermogeniano codicibus, Pauli Sententiis, Gaii Institutionibus, subjunctaque in Breviario plerisque legis romanæ locis interpretatione, quam pariter e veteribus Romanorum jurisconsultorum operibus depromptam (ut suspicari licet) (2), Alaricus pro ipsa lege jussit custodiri. Nec vero ignorandum est multas Breviarii epitomas et *glossas* vulgatas fuisse, velut epitomam Guelpherbytani, VII° sæculo, ut opinor, scriptam, epitomam Ægidii (VIII° sæculo) (3), denique legem romanam Curiensem (quæ in Rhætia ante IX^um^ sæculum condita fuisse recte judicatur) (4). Breviarium autem extra fines regni Visigothorum paulatim egressum, ac late diffusum, quod e legis Curiensis exemplo jam satis manifestum, e formulis et instrumentis in-

(1) Pardessus, I, 102 (circa 518); Ginoulhiac, *Des recueils de droit romain dans la Gaule* (*Revue historique de droit*, II, 1856, p. 539, s.); Brunner, *Deutsche Rechtsgesch.*, § 49. *Vulgata in M. G., L. L.*, III, p. 579, s..

(2) Fitting, *Ueber vorjustinianische Rechtsquellen, Die sogen westgothische interpretatio, Der sog. westgothische Gaius* (*Zeitschrift für Rechtgeschichte*, XI, 1873, p. 222, s., p. 325, s.). Lécrivain, *Remarques sur l'interpretatio de la Lex romana Wisigothorum* (*Annales du Midi*, 1889, p. 145, s.). *Fragment d'un manuscrit du Code Théodosien, dans le Vaticanus reginæ Sueciæ* 520 (*Annales du Midi*, 1889, p. 538, s.).

(3) Brunner, *Deutsche Rechtsgesch.*, I, p. 361. *Junge :* Flach, *Études critiques sur l'histoire du droit romain au moyen-âge*, 1890, p. 82, s., sommaires et gloses du Bréviaire d'Alaric.

(4) *De patria et ætate legis romanæ Curiensis historici certant.* Schupfer, *La legge Romana Udinese* et *Nuovi Studi sulla legge Romana Udinese* (*Memoria della reale Academia dei Lincei*, CCLXXVIII, 1881, CCLXXIX, 1882), *legem in Italia IX° sæculo scriptam esse confirmat.* De Salis, *Lex Romana Curiensis* (*Zeitschrift Savigny*, german. Abtheil., VI, p. 141, s.), *in Rhætia eodem sæculo. Contra ea :* Zeumer, *Ueber Heimath und Alter der Lex Romana Raetica Curiensis* (*Zeitschrift Savigny*, german. abtheil., IX, 1888, p. 1, s.). Brunner, *Deutsche Rechtsgesch.*, p. 362, s., *Rhætiam patriam legis, IX^um^ sæculum tempus editionis esse putat.*

dagandis clarius apparebit, fere ad omnes Imperii Francorum civitates translatum, præter Italiam (1) quæ Justinianeis legibus ab anno DLIV regebatur (2), apud Gallos, Germanos et Britannos, quasi legum et jurisprudentiæ fundamentum, permansit, donec jurisprudentia circa XII^{um} sæculum jure Justinianeo fuerit renovata (3).

2° At vero, ne diutius a proposito egrediamur, (hæc tamen præfari oportuit) ad formulas pergamus. Formularum vero tot fere genera fuerunt quot legum. Aliæ enim formulæ erant secundum legem romanam, aliæ secundum legem Salicam, aliæ secundum legem Langobardorum, vel Gothorum, vel Alamannorum, vel Francorum.

Sed primum quid *formulæ* verbo significetur breviter est commemorandum. Ut res exemplo illustretur, quum apud Romanos de obligatione verbis seu *stipulatione* contrahenda ageretur, alter : *Dari spondes?* alter : *spondeo* dicebat, quibus verbis fiebat obligatio. Hæc autem verba nihil aliud sunt nisi formula quædam. Item Germani per certa verba, id est per formulas litigabant, verbi gratia, quum, apud Langobardos, res quædam coram judice vindicaretur, judex reo dicebat : *Petre, te appellat Martinus, quod tu tenes sibi malo ordine terram in tali loco.* Ille respondebat : *Ipsa terra, de qua tu dicis, mea propria est* (4). Dein causa perorabatur. Quid multa? *formulæ* appellatione solemnia verba significantur quibus utimur quum aliquid jure agimus.

Cæterum, formularum varia genera sunt.

Ac primum unum genus est illarum quæ verbis nuncupatis constant, velut stipulationis formula, alterum harum quæ in verbis scriptis versantur, ut hæc solemnis formula qua Romanus heredem scribebat : *Titius heres esto.*

Deinde, omnes formulæ non eodem officio funguntur.

(1) *V. tamen*, Flach, p. 115, n. 1.

(2) Iura insuper vel leges codicibus nostris insertas, quas iam... in Italiam dudum misimus, optinere sancimus : sed et eas quas postea promulgavimus constitutiones, iubemus... etiam per partes Italiæ optinere (Iustiniani imp. pragmatica sanctio, 11. *M. G., L. L.*, V, p. 172).

(3) Hænel, p. xci, De usu et auctoritate Breviarii; Brunner, *Deutsche Rechtsgesch.*, p. 360.

(4) Thévenin, 46, 47, 49.

Aliæ enim adeo necessariæ sunt, ut, verbis solemnibus non interpositis, nihil actum sit. Quod apud veteres Romanos accidebat, si quis non ita : *dari spondes?* stipulabatur, sed hoc modo, *dabis* (1), verbis non comprobatis facta stipulatione pro inutili habita. Simile jus erat quum hæc solemnis institutio : *Titius heres esto* non adhiberetur, sed heres aliis verbis instituetur, veluti : *Titium heredem esse volo* (2). Fertur etiam olim quemdam qui propter succisas vites ageret, rem perdidisse, quia in actionis formula *vites* nominavisset, atque, quod lex XII Tabularum de *arboribus* loqueretur, debuisset *arbores* nominare (3).

Omnium quas modo retulimus formularum ea vis est ut jus ex formula substantiam capiat. Sed aliæ formulæ hujusmodi sunt ut res gesta non ideo minus valeat quod formula non intercesserit. Hæ autem formulæ ad instrumenta pertinent.

Etenim moris et consuetudinis est, postquam aliquid actum sit, exempli causa, interposita stipulatione, vel re quadam vendita, *instrumentum*, id est scriptura, fieri, ut, quod actum sit, facilius probari possit. Formulæ autem ad instrumenta redigenda adhibentur. Notarius enim quisque, sive apud Romanos, sive medio ævo, sive nostris temporibus, formulis seu libellis usus est, qui apparata instrumenta præberent, ita ut, quoties instrumentum quodlibet scribere vellet, idoneam formulam transcriberet, personarum et locorum nominibus, die et anno, ac cæteris agendi negotii singularibus additis. Ne res exemplo egeat, finge, quum pridie kalendas Aprilis, Romæ, Constantio et Constante consulibus, Lucius Titius a Publio Mævio mille sestertios præstari stipulatus fuerit, instrumentum (*cautionem*) conscribendum fuisse. Formularum igitur codice evoluto, inter alios libellos hic reperitur : *tot sestertios stipulatus est ille, spopondit ille, actum illa urbe, illa die, illis consulibus*. Formula vero in papyrum transcribitur in hunc modum : *mille sestertios stipulatus est Lucius Titius, spopondit Publius Mævius. Actum Romæ, pridie kalendas Aprilis, Constantio et Constante consulibus*. Sic *formula* in *instrumentum* vertitur.

(1) Accarias, *Précis de droit romain*, 497.

(2) Gaius, II, § 117.

(3) Gaius, IV, § 11. Fustel de Coulanges, *La cité antique*, 7e édition, 1879, p. 225.

E supradictis colligere possumus inter formulas alias esse quibus negotium, utputa obligatio, constituatur, quæ sive nuncupatis verbis, sive scriptis verbis constent, alias quæ, quum in instrumentorum exemplaria assumantur, in scriptis verbis versentur, quo formularum genere nostræ formulæ secundum legem romanam continentur.

Duæ vero sunt chartarum species quæ hujus operis scribendi materiam suppeditaverunt, *formularum* scilicet codices et *instrumenta*.

1° Jam Romani de omnibus rebus ad formanda instrumenta constituerant libellos, unde originem formularum secundum legem romanam ducendam esse puto. Deinde, postquam Imperium concidit, quum Barbari instrumentorum usum a Romanis acciperent (nam de probatione per scripturam legum Barbarorum veterrima, lex Salica, obmutescit) (1), nec antiqui formularum libri jam sufficerent, novi codices proditi sunt, quorum et plurimi et maximi eo prope tempore scribebantur, quo leges Barbarorum.

Primum VII° sæculo expositæ fuerunt formulæ Visigothicæ (aliæ in usum Gothorum, aliæ in usum Romanorum), Andegavenses, Marculfi, forsitan antiquissimæ Bituricenses; proximo sæculo, adjectis formulis Arvernensibus (Baluzii minoribus), Turonensibus (Sirmondicis formulis veteribus secundum legem romanam), Senonicis, salicis Bignonianis, salicis Vaticanis (Merkelianis), Lindenbrogianis, Alemannicis Morbaci, denique monasterii Flaviniacensis chartis (2). Ad summam (ut ceteras minores omittam) ætas merovingica plerasque formulas tulit.

2° Habemus alterius generis chartas, *instrumenta* scilicet, quæ tabularia, *codices diplomatici*, et *chartularia* nobis tradiderunt. Sunt (ut clarissima colligam) chartularia Sancti Bertini

(1) Dareste, *Études d'histoire du droit*, p. 415.

(2) *De formularum ætate*, v. Brunner, *Deutsche Rechtsgesch.*, I, § 58, die Formelsammlungen. Zeumer, *Præfationes in formulas;* Tardif, *Bibliographie*, *Formulæ merowingici et carolini ævi edidit Zeumer*, *Bibliothèque de l'École des Chartes* (1883, p. 352, s.). *De formulis Andegavensibus* (*Revue historique de droit français et étranger*, IX, p. 249); *Sirmondicis*, Hubé, *Les formules de Sirmond* (*Revue de législation ancienne et moderne*, I, 1870, p. 149, s.); *Marculfi*, Tardif, *Étude sur la date du formulaire de Marculfe* (*Nouv. Rev. histor. de droit*, 1884, p. 557, s.; *Nouvelles observations sur la date du formulaire de Marculfe*, 1885, p. 368, s.).

(Sithiense), Sancti Petri Carnotensis, Sancti Salvatoris Rotonensis, traditiones Wissemburgenses, chartularia Sancti Vincentii Matisconensis, abbatiæ Athanacensis Lugdunensis; Celsinanianense, liberque de honoribus Sancti Juliani Brivatensis, apud Arvernos; chartularium abbatiæ Belliloci in pago Lemovicensi, traditiones Sancti Galli, denique chartularia sancti Hugonis Gratianopolitani, Sanctæ Mariæ Nemausensis, Sancti Victoris Massiliensis, Liriacense (1). Quæ quidem, licet præsertim ad ævum karolinum pertineant, superioris tamen ætatis nonnulla instrumenta amplectuntur. Formulæ igitur ætate merovingica, chartularia vero proximis sæculis floruerunt.

Quibus ex instrumentis formulæ depromi possunt. Nam quum nonnulla instrumenta ad eamdem formam redacta, iisdemque verbis concepta fuisse animadvertimus, scriptores certam formulam imitatos fuisse manifesto apparet. Quapropter, si formulam extricare voluerimus, quicquid singulare in quoque instrumento inest detrahemus, iis quæ communia sunt servatis, eadem ratione usi qua illi qui, medio ævo, instrumenta in formulas vertebant. Quo perfecto, duæ res consequuntur quæ inde colligi possunt.

1° In quibus locis et quibus temporibus prædicti formularum libri ad instrumenta redigenda fuerint adhibiti. Quos libros non paria fata habuisse perspicimus. Præcipuum enim locum obtinet liber Marculfi qui etiam pro codice publico, sub primis Karolinis, habitus fuit. Deinde accedunt formulæ Lindenbrogianæ quæ in regione Mosæ et Scaldi vicina proditæ, VIII° sæculo jam vergente, apud Bajuwarios illatæ fuerunt. His duabus adjungitur tertia collectio Flaviniacensis quæ procul in Burgundia pollebat (2). Ceterarum vero formularum pleræque suis

(1) *Documents inédits de l'histoire de France :* De Courson, *Cartulaire de l'abbaye de Redon*, 1863; Guérard, *Cartulaire de l'abbaye de Saint-Bertin*, 1841. *Cartulaire de l'abbaye de Saint-Père de Chartres*, 1840; Bernard, *Cartulaire de l'abbaye de Savigny, suivi du petit cartulaire de l'abbaye d'Ainay*, 1853. — Germer-Durand, *Cartulaire de Notre-Dame de Nîmes*, 1874; Zeuss, *Traditiones possessionesque Wizenburgenses*, 1843 = Pardessus, II. Wartmann, *Urkundenbuch der Abtei Sanct Gallen*, 1863. *Cætera reperire est supra in indice operum hic sæpissime laudatorum.*

(2) Brunner, *Deutsche Rechtsgesch.*, I, p. 405, 409. Zeumer, *Præfationes formularum Marculfi*, p. 33, *collectionis Flaviniacensis*, p. 470.

finibus, exiguis sane, inclusæ, nec diu frequentatæ, ætate jam Karolina fere exoleverunt (1).

2° Nonnullas ecclesias formulis propriis usas fuisse si dixero, nihil afferam quod cuiquam novum sit, editis Morbaci, Augiæ divitis et Sancti Galli formulis (2), aliorum vero monasteriorum formulas fuisse quæ ex chartulariis depromi possent, verbi gratia, Brivatenses, Viennenses, Massilienses, Cluniacenses, nullum fuisse arbitror, qui animadverterit (3). Sic fere cuique monasterio, cuique regioni suæ formulæ erant.

De formulis universis hactenus. De formulis secundum legem romanam dicamus. Quid vero hæc verba *formulæ secundum legem romanam* significent, deinde cur quantumque ei qui historiam juris romani medio ævo peragit, formulis studere proficiat, ante omnia videamus.

(1) Zeumer, *Præfat. in formul. Turon.*, p. 128, n. 1.

(2) Zeumer, p. 329, 3.; 339, s.; 378, s.

(3) *Brioude*, Introd., p. 5. *Hoc procemium in plerisque chartis donationum Sancti Juliani Brivatensis :* Sacrosanctæ Dei ecclesiæ sancti Juliani martyris, vico Brivate, ubi ipse ss. Dei martyr in corpore requiescit, ad dexteram Hilpidius inclitus martyr, necnon ad sinistram Arconcius, gloriosissimus confessor, meruit obtinere præcipuam sepulturam. *In chartis commutationum :* 1° *Viennensibus.* Quoties inite fuerint epistole commutationis, tanta firmitate subsistunt quanta legum ratio, emptionis et venditionis forma testatur. Quapropter sic placuit (*Saint-André-le-Bas*, app., 2, 842; 3, 843; 8, 875; 133, 924; *Lérins*, 247, 824; *Cluny*, I, 249, 925). 2° *Massiliensibus :* Facta legibus commutatio vim optinet emptionis. Quapropter (*Saint-Victor*, II, 752, 1035). 3° *Astensibus :* Commutacio bona et fidei nossitur esse contradatum et uicem empcionis obtinead firmitatem, eodemque nexo oblicant contradhantes (*Hist. patr. monum.*, I, 109, 956). *In precariis Burgundicis :* 954-994. Mos est lex, licet non scripta, et usu jam communi pro lege tenetur ut de rebus ecclesie quibuslibet etiam secularibus per scripture auctoritatem aliquid sub censu concedatur (*Cluny*, 919). II, 1271, (969-970). *Saint-Vincent de Mâcon :* 959. Quotiens rationabili exigente causa contigerit ut aliquis fidelium res ecclesiastico jure subditas more precario sibi largiri petierit, tanta id debet auctoritate fulciri, quatinus nullæ humane mentis mutabilitate a succedentibus possit vacuari (*Cluny*, II, 1073). *In commutationibus ejusdem regionis :* Marini, 129 (691). Actum Claumar. *Saint-Vincent de Mâcon :* 55 (825), 267 (698-971). Pérard, *Recueil de pièces servant à l'histoire de Bourgogne*, 18 (836) = Thévenin, 72. *Saint-André-le-Bas*, Append. Chart. Viennens., 3 (843), 8 (875). Placuit atque convenit inter illum et illum ut inter se terras eorum commutarent, quod ita et fecerunt. (I, 271, 926; 279, circ. 926; 580, 942-954; 703, 947; 795, 950-951, etc.). *In cartis Langobardicis :* presens presentibus dixi (Thévenin, 61). *Cæterum exempla non desiderantur.*

1° Ut vis verborum « formulæ secundum legem romanam » explicari possit, tria sunt in formulis distinguenda.

I. Primum est causa formulæ : ad quod juris negotium formula pertineat, ut exemplis utar, ad manumissiones quædam formulæ spectant, aliæ testamentorum formulæ sunt, aliæ venditionum, vel donationum, aliæ ad judicia, aliæ ad *gestis municipalibus alligationem* pertinent (*gestis* autem *alligare* dicebatur, quum aliquid instrumentum in publicas municipiorum tabulas mittteretur). Quum vero testamenta, adoptiones, gestis alligatio lege romana continerentur, atque his institutis Barbari nequaquam uterentur, formulas testamentorum, adoptionum, gestorum esse in genere formularum secundum legem romanam manifestum est.

II. Respiciamus deinde in formulis et clausulas generales (velut actum et subscriptiones) et rerum ordinationem et verborum compositionem, uno verbo *stylum*. Quod ad stylum attinet, utrum formula quædam secundum legem romanam sit, an secundum quamdam Barbarorum legem parvi refert. Jam enim vir eruditissimus probavit a romanis formulis germanicas formulas ortas fuisse, et quo antiquiores hæ essent, eo illis similiores fuisse, idque contigisse quia Germani, quoniam nullas formulas (instrumentorum scilicet) haberent, notariis et clericis, quorum plerique (initio saltem) lege romana viverent et exemplaria sua a Romanis accepissent, formulas commiserint exponendas (1).

III. Sunt denique regulæ juris quas in formulis observatas fuisse animadvertimus. Exempli causa, servum vindicta, in ecclesia, secundum imperatoris Constantini edictum, manumissum fuisse, in formula manumissionis secundum legem romanam legimus; in formula autem secundum legem Salicam, per solidum et denarium manumissionem factam esse videmus. Itaque, quod ad jus spectat, formulas secundum legem romanam ceterasque formulas distinguere plurimi interest. Illæ enim formulæ secundum legem romanam appellantur, quibus insunt juris romani usus ac disciplina. Sed hæc appellatio diligentius etiam definiri potest.

(1) Brunner : *Zur Rechtsgeschichte der römischen und germanischen Urkunde*, I, 1880. Sickel, *Die Urkunden der Karoliner*, I, p. 109, s., das Formelwesen der Vorzeit.

Primum noli existimare formulas secundum legem romanam a ceteris omnino discrepare (de jure ipso nunc loquor, nam de stylo supra scripsi). Mixtum enim jus pleræque formulæ intus habere videntur, velut Andecavenses, Marculfi, Turonenses, Arvernenses (1), atque in iis quasi quædam juris romani jurisque germanici est communio, sed, quoniam jus romanum præcipuum est, pro formulis secundum legem romanam habentur. Ceterum, licet de formulis secundum legem romanam quærere nobis hic propositum sit, ne germanicas quidem formulas a re alienas esse judicavimus, quia aliquid juris romani in his formulis comprehenditur.

Deinceps, hæc verba *secundum legem romanam* non tantum ad jus scriptum Romanorum, verbi gratia ad principum edicta pertinent, imo legis romanæ appellatione diuturnus usus continetur, qui, quum in tanta illorum temporum caligine, non solum legis vicem expleret, sed etiam scripto juri magis ac magis oblitterato paulatim anteponeretur, pro ipsa lege romana postremo habitus est.

Denique, medio ævo, juris romani formularum duo genera fuerunt. Unum fuit nostrarum formularum quæ proprio nomine « formularum secundum legem romanam » nuncupatæ, a VII° sæculo usque ad XII^{nm} sæculum (ut generatim dicam) permanserunt, alterum formularum quæ, exeunte XII° sæculo, inductæ, quum eis nulla cum illis antiquis formulis secundum legem romanam conjunctio fuerit, a proposita ratione diversa esse cogitavi. Nam eæ novissimæ formulæ ab officialibus et notariis eorum fuerunt prolatæ, illæ a Romanis scriptæ, etiam sub corruptorum et deformatorum lineamentorum specie, quamdam antiquitatis effigiem præbent. Præterea in his Justinianeæ leges, in illis Imperii Occidentis leges servabantur.

2° Superest ut dispiciamus quid formulæ ad historiam juris romani scribendam conferant. Fecundissimum historiæ juris fontem, regnantibus Merovingis et Karolinis, formulas fuisse manifesto compertum est.

Etenim de plerisque negotiis juris romani formulæ secundum legem romanam proditæ sunt. Aliæ ad statum personarum spectant, nempe *libellus repudii* quo vel maritus uxori vel

(1) V. Zeumer, *Præfationes ad formulas Visig.*, p. 575, *Turon.*, p. 129.

uxor marito divortium significat, *epistola collectionis* qua cavetur ut infans derelictus ejus fiat qui eum nutriendum acceperit, *epistola adoptionis*, alia *qualiter pupilli recipiantur* seu tutoris dandi, et multæ formulæ manumissionum. Aliæ ad res pertinent, testamenta scilicet, mandata, illudque chartarum genus, quod *cessionum* seu *traditionum* nomine appellatum, continet donationes, *sponsalitia*, *dotalitia*, venditiones, commutationes, necnon et *impignorationes* vel *obnoxationes* (quibus debitor rem aliquam in pignore creditori tradit), denique *precarias* et *præstarias* (quibus quis prædium ab Ecclesia sub annuo censu utendum precative petit et præstitum accipit). Præterea, quasdam formulas ad gestis alligationem pertinere supra dixi, quæ *gesta juxta consuetudinem Romanorum* nuncupantur (1).

Quum igitur plurimæ formulæ in promptu sint, multa ex iis de jure civili comperimus, quæ negotia juris tunc in usu essent, quibus modis negotia agerentur, in iis enim rebus fere totum jus civile continetur. Cur autem illud jus in formulis potius quam in legibus quæramus, roget quispiam. Sed primum admonendum est formulas a legibus disjungi nec ullo modo posse, nec mihi in animo esse, ea vero sententia est formulis investigandis potissimum studere. Deinde, qui se ad leges applicat verba legis discit, qui formulas perspexit legum vim ac potestatem tenet, quæ et in usu et in interpretatione insunt. Aliud enim lex est, aliud usus quo sæpissime lex vel mutatur, vel subvertitur, nunquam autem usum a lege tantum discrepuisse quantum Barbarorum temporibus formulæ secundum legem romanam nos docent.

(1) *Absens, quum in eum ageretur, post tres litteras commonitorias ab actore missas, sive trinam conventionem, edicto magistratus in jus venire compellebatur* (Lindenb., 116 = Roz., 437, 438). *Accusator, nisi probaret crimen, pœnam eamdem subibat qua reus, probata accusatione, esset obnoxius, insuper expensas quas reus facere coactus esset, in quadruplum restituere debebat; nec prius a judicibus audiebatur quam per instrumentum inscriptionem seu editionem nuncupatum, hæc omnia subire se paratum esse professus esset* (Baluz. maj., 16 = Roz., 439. Sirmond., 29 = Lindenb., 117, 118 = Roz., 440, 440 *bis*). Formulæ extravagantes, I, 3-7, formulæ judiciales secundum legem romanam (Zeumer, p. 534, s.).

CAPUT I.

QUID FORMULÆ SECUNDUM LEGEM ROMANAM FORMULIS POPULI ROMANI DEBUERINT (1)?

Apud Romanos formularum frequentissimus usus semper fuit, tanta etiam reverentia, ut prudentes ipsi formulas componere curarent, velut ille Appius Claudius qui actiones ad formam redegerat (2), et Aquilius Gallus, Ciceronis collega et familiaris, qui, quum in formulis concipiendis callidus esset, actionem de dolo malo (3) *everriculum omnium malitiarum* (4) et de postumis instituendis formulam (5) atque etiam stipulationem (de qua infra agimus) *Aquilianam* dictam, proposuerat.

Prætermittamus illas Romanorum antiquissimas ac legitimas formulas quæ, quum aliquid jure ageretur, velut quum res mancipio daretur, vel in jure cederetur (6), vel quum

(1) *Amplissimam romanarum formularum collectionem reperies apud* Brissonium, *De formulis et solemnibus populi romani verbis*, Parisiis, 1583.

(2) L. 2, § 7, D., *De orig. jur.*, I, 2.

(3) Nondum enim Aquillius, collega et familiaris meus protulerat de dolo malo formulas (*De officiis*, III, 14).

(4) Cicero, *De officiis*, III, 14. *Hæc erant formulæ verba :* Si paret dolo malo Numerii Negidii factum esse ut Aulus Agerius fundum Cornelianum Titio mancipio daret, nisi arbitratu tuo Numerius Negidius Aulo Agerio rem restituet : quanti ea res erit, Numerium Negidium Aulo Agerio condemna, si non paret, absolve.

(5) Si filius meus vivo me, morietur, tunc si quis mihi ex eo nepos, sive quæ neptis post mortem meam in decem mensibus proximis, quibus filius meus moreretur, natus, nata erit, heredes sunto (L. 29, § 1, D., *De liber. et postum.*, XXVIII, 2).

(6) *Mancipatione et cessione in jure rerum dominia ad alium transferebantur :* Est mancipatio,... imaginaria quædam venditio... Eaque res ita agitur : adhibitis non minus quam quinque testibus... et præterea alio... qui libram

obligatio contraheretur, erant adhibendæ, quandoquidem ætate Barbarorum jamdudum exoleverant (unam excipio testamenti per æs et libram nuncupationem). Nonnulla vero dicenda sunt de illis formulis quæ, postquam Romani scriptis probationibus uti cœperunt, paulatim fuerunt constitutæ, quæ quodam modo formularum secundum legem romanam fontes videntur. Earum quidem formularum plurimas amissas desideramus. Nonnullæ tamen exstant, exempli gratia, stipulationes quas in ovium, bovium et servorum venditionibus interpositas nobis Varro tradidit (1), et venditionum et locationum formulæ quæ apud Catonem referuntur (2), et libelli quos in romanis legibus passim reperimus, ut *libellus criminis adulterii* (3), *libellus potioris nominandi* (4), *attestatio matrimonii* (5). At vero ple-

æneam teneat, qui appellatur libripens, is qui mancipio accipit, rem tenens ita dicit : « Hunc ego hominem ex jure Quiritium meum esse aio, isque mihi emptus est hoc ære æneaque libra »; deinde ære percutit libram, idque æs dat ei a quo mancipio accipit, quasi pretii loco (Gaius, I, § 119).

In jure cessio... hoc modo fit. Apud magistratum populi Romani, velut prætorem... is cui res in jure ceditur, rem tenens ita dicit : « Hunc ego hominem ex jure Quiritium meum esse aio », deinde... prætor interrogat eum qui cedit, an contra vindicet; quo negante, tunc ei qui vindicaverit rem addicit (II, § 24).

(1) *E libris rerum rusticarum* (Bruns-Mommsen, p. 388).

(2) *Qua lege olea pendens vel pabulum hybernum veneat* (*De re rustica*, 146, 149). *Quo modo oleam legendam vel faciendam, calcem partiario coquendam, vineam partiario curandam locari oporteat* (144, 145, 16, 137).

(3) Apud illum prætorem, vel proconsulem, Lucius Titius professus est se Mæviam lege Julia de adulteriis ream deferre; quod dicat eam cum Gaio Seio in civitate illa, domo illius, mense illo, consulibus illis, adulterium commisisse (L. 3, pr., D., *De accus.*, XLVIII, 2).

(4) *Is potiorem nominare dicitur qui, tutor datus, dum tutelam renuit, alium magis idoneum indicat.* Libelli ita formandi : « Cum proxime decreto tutorem me dandum existimaveris illi, quod mihi in notitiam pertulit (ille) illa die, nomino potiorem, ut municipem suprascripti, illum, Vejentanum, morantem eo loco, habentem in substantia plus minus tantum. » Si eques Romanus fuerit qui potior nominabitur, etiam hoc comprehendi debet. Deinde fine talem clausulam addat : « Rogo, prætor, propter præscriptiones, tempora, libellos accipere digneris » (*Fragmenta Vaticana*, § 166).

(5) Quantum vero in militiis honestioribus et negotiis, et omnino professionibus dignioribus est : si voluerit legitime uxori copulari, et non facere nuptialia documenta... veniat ad quandam orationis domum et fateatur... Ecclesiæ defensori. Ille autem adhibens tres aut quatuor exinde... clericorum attestationem conficiat declarantem, « quia sub illa indictione, illo mense, illa

rarumque formularum archetypis disperditis, instrumentorum copia quædam obversatur, ex quibus (ut supra dixi) formulas extricare licet. Exstant enim innumera instrumenta in libris prudentium, supersunt alia in ære aut in lapidibus incisa, alia a I° sæculo usque ad IV^um^ sæculum in illis tabulis ceratis exarata quæ e variis locis, sed pleræque e Pompeianis ruderibus erutæ fuerunt (1); alia papyris mandata, sint exemplo instrumenta Ravennæ a V° sæculo ad IX^um^ sæculum scripta, quæ vir doctissimus Marini e bibliothecarum et archivorum adytis protulit. Sic antiquorum monumentorum naufragio erepta, testamenta et instrumenta donationum, mutui dationum, emptionum venditionum, locationum conductionum, societatum, mandatorum, denique gesta municipalia ad nos pervenerunt. Ecce igitur in manibus habemus multas Romanorum formulas.

Hoc vero mihi proposui ut formulas secundum legem romanam e romanis formulis ortas fuisse demonstrarem, duarum ætatum formulas inter sese conferendo. Sed antequam destinata componam, brevissime id repetendum videtur nempe qui Barbarorum ætate instrumenta conscriberent.

Apud Romanos instrumenta, aut erant *privata*, id est a privatis hominibus scripta (quorum præcipuum *chirographum*,

die mensis, illo imperii nostri anno, consule illo, venerunt apud eum in illam orationis domum, ille et illa, et conjuncti sunt alterutri » (Nov. 74, cap. 4).

(1) De Petra, *Le Tavolette cerate di Pompei*, Roma, 1876; Mommsen, *Die pompeianischen Quittungstafeln* (*Hermes*, XII, 1877, p. 103); Bruns, *Die Sieben Zeugen des rœmischen Rechts* (*Kleinere Schriften*, p. 119, s.). Brunner, *Zur Rechtsgesch. der röm. und germ. Urk.*, p. 44, s.; Eck, *Neue pompejanische Geschäftsurkunden* (*Zeitschr. der Sav. Stift.*, rom. Abtheil. 1888); J. Tardif, *Les nouvelles tablettes de cire de Pompéi*, et *Observations sur les nouvelles tablettes de cire de Pompéi* (*Nouv. Rev. histor. de droit*, 1888, p. 472, s., 832, s.). *Ad formam adeo immutabilem L. Cæcilius Jucundus, Pompeianus mensarius, apochas scribebat ut fere nulla in illis quæ obversantur instrumentis diversitas deprehendatur. Hanc formulam quam extricavi hic subjungendam esse arbitratus sum :* h. s. n. (summa) quæ pecunia in stipulatum (Auli Agerii) venit ob auctionem (Numerii Negidii), in (diem illum) mercede minus persoluta (vel numerata) habere se dixsit (Numerius Negidius) ab (Aulo Agerio). Actum Pompeiis (die illo; illo illo) consulibus (ille) scripsi rogatu (Numerii Negidii) eum accepisse ab (Aulo Agerio) h. s. n. (summam) ob auctionem eius, facta interrogatione tabularum signatarum. Actum Pompeiis (*De Petra*, p. 5).

fiebat, quum quis se debere aut daturum scriberet) (1), aut erant *forensia* vel *quasi publice confecta*, id est a tabellionibus conscripta, aut denique *gesta* vel *acta publica* magistratuum erant (2), verbi gratia, gesta municipalia. Everso autem Imperio, pleraque instrumenta librariis scribenda demandabantur. Attamen pauca forensia scripta reperiuntur. Nam quanquam in quibusdam Italiæ civitatibus municipalis curiæ notarii instrumentis redigendis x° sæculo præficiebantur (3), quanquam in Langobardia, IX° et X° sæculis, urbani notarii (4), deinde, a X° sæculo, publici notarii, a rege creati, ac *judices* seu *notarii sacri palatii* vocati eodem officio fungebantur (5), quanquam apud Visigothos, *regales amanuenses* pariter fuisse

(1) Gaius, III, § 134. F. Schupfer, *Singraphe e chirographi, Ricerche sui titoli di credito dei Romani* (*Rivista italiana per le scienze giuridiche*, 1889, VII, p. 345, s.).

(2) Apud magistratus de plano L. Titius his verbis a marito repetit. Anicius Vitalis dixit : « Quoniam præsto est Flavius Vetus junior, peto rem uxoriam Seiæ nomine ab eodem ex legibus et edictis... » Flavius Vetus junior dixit : « Sermo vester in actis erit » (*Fragm. Vatic.*, § 112). Marini, don., 82, 83, (489); 84 (491); 88, 88 A (572); 94 (625); 98 (Sæc. IX); vend. 113 (504), 115 (540), 117 (541), instr. plenarie securitatis, 80 (564).

(3) Brunner, *Zur Rechtsgesch. der röm. und germ. Urk.*, p. 56, 77, 144.

(4) 833. Ego Audiberte clericus notarius hac cartolam offersionis scripsi per Ragiverto filio meo et complevi (Kohler, *Beiträge zur germ. Privatrechtsgesch.*, 3 = Thévenin, 70). *Hist. patr. monum.*, I, 41 (885, actum Novaræ). 911. Ego Rodulfus clericus atque notarius ibi fui et hanc noticiam brevis scripsi et complevi. (Kohler, 6 = Thévenin, 121).

(5) 1028. ... Iudex sacri palatii rogatus scripsi (*Hist. patr. monum.*, I, 273). — 967. Ego,... notarius sacri palacii, scriptor hujus cartula ordinacionis, post tradita complevi et dedi (*Cluny*, II, 1229). 1228 (967). *Hist. patr. monum.*, I, 170 (991, actum in civitate Astensi), 221 (1010), etc... Notarius et judex sacri palatii (*Hist. pat. monum.*, I, 218, 1010, in civitate Astensi); 274 (1028, Augustæ Taurinorum). Notarius et causidicus sacri palatii (*Cluny*, IV, 3519, 1078). Notarius et iudex (*Hist. patr. monum.*, I, 313, 1041, Corte). — *In his duobus instrumentis judices sacri palatii notarios dignitate antecedere videntur.* — 872. Ego Agelmundus, iudex domini imperatoris, in hac cartula venditionis rogatus a Sisenando supradictum argentum accipere vidi. Ego Albertus, notarius domini imperatoris, in hac cartula vendicionis a Sisenando suprascripto et suprascriptum argentum accipere vidi. Petrus, notarius domini imperatoris, in hac cartula venditionis rogatus a Sisenando testis suprascriptum argentum accipere vidi. Ego Aripertus, notarius domini imperatoris, scriptor huius cartulæ venditionis (Lœrsch und Schrœder, *Urkunden zur Geschichte des deutschen Privatrechts*, 68 = Thévenin, 105, p. 152), 143 (988).

satis constat (1), Ecclesia tamen paulatim et libellos concipere et instrumenta formare ubique instituit. Monachus erat ille Marculfus qui formulas in amplissimum codicem congessit. In Alemannia episcopus quisque, monasterium quodque suos cancellarios habebat, et suos notarios quorum peculiare munus erat ad vicem cancellariorum (2) instrumenta scribere. Aliis in regionibus presbyteri, monachi, diaconi, subdiaconi, lectores instrumenta conscribebant, qui ne tabellionum quidem (ut videtur) officia fungebantur, sed instrumentis redigendis ex occasione et per intervalla vacabant (3). Denique iisdem temporibus, ne gestorum quidem usus statim periit, non solum quia lex romana præcipiebat ut donationes et testamenta publicis tabulis mandarentur, verum etiam quia, quum tumultus et bellum sine ulla intermissione instarent, summa cura cavebatur ne instrumenta perirent. Curialium vero officii erat ut et servanda instrumenta in municipales codices mitterent, et amissa vel deleta instrumenta, alias chartas (*apennes* scilicet seu *plancturias*) conscribendo, restituerent (4). Unde non mirum est si multæ gestorum formulæ exstant (5), quarum plerasque ex

(1) Zeumer, p. 28, n. 6.

(2) 1241. Ego W. notarius qui hanc cartam scripsi, vice Jacobi cantoris et cancellarii Sedunensis (L'abbé Gremaud, *Documents pour servir à l'histoire du Valais*, I, 464, 465, 467, 1243). Brunner, p. 251. *Cancellarii et notarii Sangallenses :* 778. Salamonus diaconus seu canzalarius (Neugart, I, 68, 133, 797). Waringisus (62, 775, 168, 809). — 788. Ego... Adam presbyter acta Werinkisi scripsi (106, 128). *Mawo autem diaconus est* (139). — 798. Ego... Bertilo... presbyter in vicem Waringisi Cancellarii scripsi (137). — 797. Ego Maio presbyter atque notarius scripsi (129). — 1018. Ego Amalger diaconus in vice Maionis scripsi (195). Cpr. : *Chartam pro monasterio Blandiniensi prope Gandavum.* — 993. Ego L. cancellarius, cantor... Blandiniensis cœnobii, monachus,... interfui et annotavi (Warnkœnig, *Flandrische Staats und Rechtsgeschichte*, III, Urk., 8 = Thévenin, 144).

(3) Levita (*Cluny*, III, 2645, 1007). Presbyter (1780, 988). Sacerdus (1798, 989). Guérard, *Cartul. de Saint-Père de Chartres*, I, *Prolég.*, p. CCXXXII.

(4) Baluz. min., 1, 2 = Roz., 403, 404. Andegav., 32 = Roz., 407. Sirmond., 28 = Lindenb., 107 = Roz., 408. Germer-Durand, *Cartulaire de Notre-Dame de Nîmes*, 32 (928) = Thévenin, 127. Pardessus, I, *Prolég.*, p. 254, s., *Formule inédite* (*Bibliothèque de l'École des Chartes*, I, 1839-1840, p. 219); Fustel de Coulanges, p. 19. Zeumer, *Ueber den Ersatz verlorener Urkunden* (*Zeitschrift Savigny*, I, germ. Abtheil., p. 89, s.).

(5) *Gesta habita : Corduba colonia Patricia* (Visigoth., 25), *Andegavis* (Andegav. 1 = Roz., 260), *Arvernis* (Baluz. min., 3, 4 = Roz., 384), *Turonis* (Sirmond., 2, 3 = Lindenb., 179 = Roz., 263). *Biturico* (*Append. ad Ande-*

actis curiarum Cordubæ, Andegavorum, Arvernorum, Turonorum et Biturici, ab hujus temporis librariis excerptas, atque in formulas esse conversas suspicari possumus.

Nunc formulas secundum legem romanam juris romani formulis (ut nobis destinatum est), conferre aggrediamur. Nostræ autem formulæ ex diversis rebus constabant.

Primum quædam omnibus formulis communia reperiuntur. Nam non solum quævis formula vel ad formam *cartæ* scribitur, vel ad *notitiæ* formam (quæ vero sit his verbis subjecta notio mox dicam), sed præterea quædam clausulæ in formulis fere omnibus includebantur, et ideo *clausulæ generales* appellari possunt. Eæ sunt clausulæ : 1° *Actum*, id est dies et locus; 2° *subscriptiones* vel *signa;* 3° instrumentum binis vel pluribus exemplaribus mandatum; 4° quum instrumentum aliena manu conscriberetur, verba : *scripsi ille rogatus ab illo*, vel similia; 5° in forensibus instrumentis verba *complevi et dedi*, vel alia hujusmodi.

Deinde, quum cuique rei propria formula esset, ita ut, verbi gratia, aliæ essent testamentorum formulæ, alii contractuum et traditionum, velut venditionum et locationum, libelli, aliæ gestorum formulæ, in quaque formula singularia quædam insunt.

Unde hunc enarrationis ordinem servandum institui, primum formulis communia exponere, deinde peculiaria recensere.

1° Quæ sint communia formulis.

I. *Carta et notitia* (1).

Romani instrumenta ad duas formas redigere consueverunt. Una erat forma epistolaris. Sæpenumero enim de donatione

gav. = Roz., 262). *Cetera gesta :* Marc., II, 37, 38 = Lindenb., 73 = Roz., 259. *Append. ad Marc.*, 53-55 = Lindenb., 63-65 = Roz., 261, 263 *bis*. Roz., 264 = *Cartæ Senonicæ*, 39. *Collectio Flaviniacensis*, 10; Quicherat, *De l'enregistrement des contrats à la curie* (*Biblioth. de l'École des Chartes*, V° série, I, p. 440, s.); Larnaude, *Étude sur la publicité des donations*, 1876; Brunner, *Die gesta municipalia* (*Zur Rechtsgesch. der rœm. und germ. Urk.*, p. 139, s.); Chénon, *Étude historique sur le defensor civitatis* (*Nouv. Rev. histor. de droit*, 1889, p. 527, s.).

(1) Brunner, *Carta und notitia*, 1877, *Deutsche Rechtsgeschichte*, I, p. 395.

facta, de venditione, de mandato contractis *per epistolam* vel *per litteras* apud prudentes agitur, non quia inter absentes conveniebat, sed quia instrumentum in modum epistolæ scribebatur. Nonnullæ etiam hujus generis epistolæ, donationes scilicet, mandata, codicilli, *epistolæ codicillares* vel *fideicommissariæ* exstant in quibus eum qui instrumentum facit, primum salutem nuntiat, deinde se vel obligationem contrahere vel rem suam alienare scribit alteri. Exempli gratia : *Ille illi salutem. Dono et permitto tibi. Me tibi concedere hac epistola tibi notum facio* (1).

Cetera instrumenta ad narrationis formam scribebantur, velut hoc Pompeianum instrumentum abhinc tribus annis in lucem proditum : *Ea mancipia... Dicidia Margaris emit ob sestertios n.* ∞ *LD et mancipio accepit de Poppea Prisci liberta Note tutore auctore A. Caprasio,... libripende in singula C..., et Dicidia Margaris cum Poppea... pactum fecit in hunc modum* (2).

Quæ forma adhibebatur quum instrumentum vel a mandatario, vel a servo, vel a tabellione scriberetur. Simili modo gesta concipiebantur.

Hoc instrumentorum varium genus Barbarorum ætate permansit, carta enim nihil aliud erat nisi epistola, ut apparet ex hac venditionis carta ad exemplum epistolæ scripta, quam inter innumeras sumpsi, nullam potissimam ac præter cæteras eligens : *Domino magnifico illi emptori, ego ille venditor, vendo tibi rem. Unde accipio precium de te, et in tua trado dominatione et facias quidquid facere volueris.* Unde etiam cartæ adoptionis, ingenuitatis, donationis, dotis, commutationis, præstariæ et ceteræ, *epistolæ* sæpissime inscribebantur.

Rursus sub narrationis forma *notitiæ* scribebantur. Exempli

Breslau, *Handbuch der Urkundenlehre für Deutschland und Italien*, 1889, cartæ und notitiæ, p. 46, s..

(1) *Fragm. Vatic.*, § 263, 281. L. 77, § 26. D., *De leg.*, II, XXXI. L. 27, 32, 35, pr., D., *De donat.*, XXXIX, 5. L. 60, § 1, 62. D., *Mand.*, XVII, 1. L. 37, § 2, 3, D., *De leg.*, 3°, XXXII. *Exstat hoc concinnum ac miserabile epistolæ codicillaris exemplum :* 175. Have mihi domine pater, cum ad te hæc dictarem infelicissimum te æstimavi, ut eras, cum me hoc mitteres. Peto ut monumentum mihi facias dignum iuventuti meæ. A te peto Eutychia nunc alumnum meum manumittere vindictaque liberes (Bruns-Mommsen, p. 301).

(2) Eck, *Neue pompeian. Quittungstafeln* (*Zeitschr. Savigny*, roman. Abtheil., 1888, p. 96).

causa, contracta per *cartam* venditione, alterum instrumentum conscribebatur, *notitia* scilicet *traditoria* seu *werpitoria*, quod emptorem in vacuam prædii possessionem venditionis causa inductum fuisse testaretur hisce fere verbis : *Notitia qualiter et quibus præsentibus veniens homo alicus, nomine illo, illa terra quam ante as dies vel ad casa sancto illo per chartam cessionis visus fuit vendidisse, per herba vel terra ipso manso sicut in ipsa cessione est insertum, ad parte illa ecclesia visus fuit tradidisset* (1). Aliæ *notitiæ* ad judicia pertinent, ut gestorum et apennium formulas taceam, quas tamen notitiis annumerari oporteret, etsi nunquam earum nomine appellarentur.

Jam vero illis temporibus inter *cartam* et *notitiam* aliud ac forma intererat. Notum est enim litteras interdum tantum ad probationem et fidem rei factæ interponi, remque gestam non ideo minus valere quod instrumentum nullum de ea intercesserit, quo casu res alio modo probari possit, testibus scilicet adhibitis; interdum autem scripturam ad solemnitatem requiri, ita ut sine instrumento quod actum sit non valeat, Romæ vero instrumenta (in modum vel epistolæ vel narrationis redacta) probationis vim habuisse, excepta quadam litterarum obligatione (2). Barbarorum autem temporibus, ad probatio nem tantum notitiam valere constat, cartam vero ad solemnitatem adhibendam esse infra dicemus.

II. *Clausulæ generales.*

1° *Actum.* — Apud Romanos actum his verbis adscribebatur : *actum in illa civitate, illa die, consulibus illis*, vel *imperatore*

(1) *Jam Romani traditionis vel introductionis instrumentum* (*dyplomum vacuale, epistolam traditionis*) *conscribere solebant* : 539 aut 546. Ex causa hujus venditionis in sstam rem hire mittere ingredi possidere que permiserunt sicuti et alio dyplomum vacvali desuper hanc rem venditionem adscripto consignatoque plenissime continetur (Marini, 114, 33).-540. Item inserendam epistulam traditionis data ad municipes civitatis... Magistratus dixerunt : Lecta instrumenta venditionum simulque et epistulam traditionis in acta megrarunt et adi (Marini, 115, col. II, 5; col. III, 1). *De instrumento traditionis rerum donatarum gestis alligando* : L. 12, C. *De fide instrum.*, IV, 21. *Edictum Theodorici cavet ut* ad conficienda introductionum gesta tres sufficiant curiales (53, *M. G., L. L.* V, p. 157).

(2) Gaius, III, § 128-133.

illo, anno (regni scilicet) *illo* (1). Nec longe aliam rationem secuti fuisse videntur ii qui instrumenta Barbarorum ætate conscribebant, ut ex hoc loco apparet : *Actum locum publice in ipse Duringas, anno primo Domno nostro Pippino regnante vir inlusdro* (2), nec vetus quidem *die consule* formula omnino interiit, quippe quæ et in antiquissimis ævi merovingici testamentis reperiatur (3), atque etiam in instrumentis VIII° sæculo scriptis, ac rege scilicet et regni anno datis occurrat (4).

2° *Subscriptiones.* — Verbum *subscriptio*, quum aliud nostris temporibus, aliud Romanorum ac Barbarorum ætatibus significet, primum est definiendum. Illis enim temporibus subscriptio non in eo constabat ut quis nomen suum sub fine instrumenti scriberet, sicut nostra est consuetudo, sed ut signum (crucis scilicet a VI° sæculo) annulo vel scriptorio calamo exararet (5). Signo autem is qui instrumentum conscribit subscribentis vel signatoris nomen adjicit in hunc modum ✝ *Donati*, ac brevem subscriptionis formulam quæ e quibus verbis sit concreta paulo post dicam. Nunc si quærimus a quibus personis instrumentum signaretur, primum *auctorem* cartæ (is est qui cartam fieri jubet) vel notitiæ reperimus (6). Romæ enim

(1) Actum Pompeis VI idus Maias M. Alicio Aviola, M' Asinio Mariello coss... — Imp. Dn. Justino pp. Augusto anno septimo et pc. ejus secundo anno quarto, sub die tertia nonarum Juniarum, Ravennæ.

(2) Neugart, I, 17 (752). Sickel, *Die Urkunden der Karoliner*, I, p. 220, s..

(3) 475. Calend. Maias post consulatum Leonis Minoris (Pardessus, I, 49). — 533. Actum Remis die et consule præscripto (118). — 542. Diem et consulem subtus adjicimus (139). *Desunt tamen in his duobus testamentis dies et annus, forte incuria perscriptorum.*

(4) *De formula* die consule, die proconsule *in Bajuwariis instrumentis adhibita* v. Brunner, *zur Rechtsgeschichte der rœmischen und germanischen Urkunde*, p. 252, 259. Zoepfl, *Alterthümer des deutschen Reichs und Rechts*, II, p. 369. *In plerisque Romanorum formulis et instrumentis actum ima parte insertum reperimus, quod idem fiebat in medii ævi scriptis, gestis municipalibus exceptis.*

(5) *De subscriptionibus disseruerunt :* Kuntze, *Excurse über römisches Recht*, IIte Aufl., 1880, p. 463, n. 3. Bruns, *Die Unterschriften in den rœmischen Rechtsurkunden* (*Kleinere Schriften*, 1882, p. 109, s.).

(6) 779. Traditio Hisonis. Sig. Hiso et Hatti auctores (Neugart, I, 73). — 818. Charta Werimperti. Signum W. auctoris qui hanc cartulam firmare et fieri rogavit (195). — 831. Charta Reginfridi. Sign. R. auctoris (250). — 838. Traditio Scrutolfi. Sign. S. auctoris qui hanc traditionem legaliter perfecit (288). — *Notitiæ : Sauxillanges*, 447. *Cluny*, 49 (892). *Notitia traditionis ab Eccardo*

ea consuetudo jam processerat ut is qui vel obligationem susciperet vel rem alienaret, instrumentum non propria manu scriptum subscriberet, quoniam ejus scriptura omnino desideraretur ut scriptum adversus eum fidem faceret (1). Deinceps testes instrumentum signabant (2).

Sed ad subscriptionis formulas exponendas aggrediamur. Subscriptionum vero formulæ tres apud Romanos fuerunt (3). Et primum hæc antiqua : *Ego ille signavi* (4), quæ ante deletum Imperium ab usu jam propemodo intermissa videtur. Deinde illa obtinuit : *Ego ille subscripsi* (5), Barbarorum autem ætate maxime rara. Tertia hæc est : *Signum illius* (6), quæ medio ævo potissime per longum sæculorum ambitum celebrata fuit.

3° *Ex eodem exemplo binæ vel plures tabulæ scriptæ.* — In nonnullis merovingici et karolini ævi testamentis, et in plu-

comite facta et subscripta (Pérard, *Recueil de plusieurs pièces servant à l'histoire de Bourgogne*, p. 23, 840 = Thévenin, 75 *bis*).

(1) *Argumento est hoc chirographum quod Paulus retulit :* Chrysogonus, Flavii Candidi servus actor, scripsi coram subscribente et adsignante domino... Subscripsit et dominus (L. 126, § 2, D., *De verb. obl.*, XLV, 1). Marini, 119 (551).

(2) *Eo autem ordine subscriptiones a* VI° *sæculo disponebantur ut primum partes tabulas signarent, deinceps testes qui olim primi subscribebant.* V. *instrumenta* II° *sæculo scripta apud* Bruns-Mommsen, p. 260 (139), 261 (160), 262 (159), 268 (162). *Donatio Flavii Syntrophi* (sæc. II, III), p. 255.

(3) *Nulla subscriptionis formula,* I° *et* II° *sæculis, signatorum nominibus addita fuisse videtur, ut de communi usu loquar* (V. *apochas Pompeianas apud* Bruns-Mommsen, p. 276 et 279, *ac supra laudata instrumenta*).

(4) *Emptio ancillæ a.* 160. *Post sex nomina :* Αλεξανδρυς Αντιπατρι σεκοδο αυκτωρ σεγναι (*Alexander Antipatri secundus auctor signavi*). Cl. Phileti venditoris ibsius (Bruns-Mommsen, p. 261). *Emptio domus a.* 159. L. Vasidius Victor signavit. *Dein quinque nomina.* Veturi Valentis venditoris (p. 262). Signavit Geraldis que donationem istam donavit... Regnante Lothario rege Francorum (*Sauxillanges*, 447).

(5) 591. † Domninos..., testis subscribsi. † Petrus..., testis subscribsi. † Lumenosus..., testis subscribsi... (122). *Ego Wandalgisus commutacione ista a me facta legi et subscripsi, et testis rogavi, S. Elberti, S. Ragamboldo, S. Gerardo, S. Fectento, S. Gotalfredo, S. Wandalmare, S. Ermenardo, S. Dominico.*

(6) 553. Signum † Runilonis sublimis feminæ suprascriptæ donatricis. Signum † Felithanc vir sublimis jugalis suprascriptæ (Marini, 86), 114 (539 aut 546), 116 (540), 119 (551). Circa 540. Signum † Leonty (Guic-testis) qui et suprascriptum præcium ei traditum vidit. Signum † Donati Guic-qui *et rel.* (118).

rimis cartis legimus, vel testatorem duabus aut pluribus membranis supremam voluntatem mandavisse, quæ diversis archivis committerentur (1), vel unius pacti tot exemplaria scripta fuisse quot partes essent, ut quisque juris sui probationem haberet, his fere verbis adhibitis : *propterea duas* (vel *tres*) *epistolas uno tenore conscriptas se fieri et adfirmare decreverunt, ut quicquid unusquisque ex ipsis de hoc quod accepit facere voluerit absque alterius repetitione liberam habeat potestatem* (2).

Haud vero dubito quin ex veteribus Romanorum formulis hæ clausulæ depromptæ fuerint. Argumento erit quod Proculus, Tiberio æqualis, de *binis tabulis testamenti eodem tempore*

(1) Pardessus, I, 49 (475). 635. Ex quibus unum Lugduno Galliæ direximus, aliud vero Parisius in archivis ecclesie commendavimus (II, 274).-278 (637). Circa 840. Ex quibus unum mecum retinui, et alium Adanæ germanæ meæ Afrano monasterio commendatum habeo, uno tenore conscriptos (Pérard, *Recueil de pièces servant à l'histoire de Bourgogne*, 5 = Thévenin, 76. p. 101).

(2) Circa 650. Facta plura exemplaria (*M. G.*, *Dipl.*, 1). *Libelli repudii* (Sirmond, 19 = Roz., 110 = Thévenin, 23. Vatic., Roz., 113 = Thévenin, 41). *Qui se in alterius potestatem commendat* (Sirmond, 43 = Roz., 43 = Thévenin, 26). *Pactum inter parentes de hereditate dividenda.* Presentis epistolas duas uno tenore conscribtas... inter se visi sunt conscribsisse, ut nullus deinceps contra pare suo, nisi quod ad presens accepit,... amplius requirendi ponteficium habere non dibiat (Marc., II, 14.; Roz., 124 = Thévenin, 16, p. 18). *Charta de divisione bonorum inter Berthofridum, Dodonem et Bertholandam.* 572. Unde convenit ut tres epistolas uno tenore conscriptas inter se fieri et accipere deberent; quod et ita fecerunt, ut nullus contra parem suum de istis convenientiis se remutare non posset (Pardessus, 179 = Thévenin, 53, p. 62). Quam donationem, ut firmior habeatur, gestis municipalibus alligare decrevi, et duas epistolas uno tenore conscriptas feci de re superius nominata : una quæ in archivo domini resideat Aniani, aliam vero partem monasterii domini Petri per futura tempora reservandam. Actum Aurelianis (Pardessus, II, 358). — 988. Unde due cartule offersionis uno tinore scripte sunt (Thévenin, 143, *actum prope Cremonam*). *Cartæ precariæ.* Sirmond, 6 = Roz., 332 = Thévenin, 22). *Charta qua Sigrannus recognoscit se tenere monasterium Anisolense ab Hadoindo, episcopo Cenomanensi, jure usufructuario, et sub certo censu.* — 637. Et ut hæc precariæ uno tenore conscriptæ, una quæ in thesauro civitatis ecclesiæ recondita sit, et alia quam ego Sigrannus a vobis accepero firmiorem obtineant vigorem (Pardessus, II, 278). Beaulieu, 23 (859). *Charta commutationis inter Aprum monasterii Sancti Hilarii Pictavensis abbatem et Hermembertum cellæ Novaliacensis rectorem.* Et sic volumus ut duas convenientias uno tenore conscriptas, una quem nos hab... quem Hermenbertus vel pars Novaliacense habere debeat... Facta commutatione (Redet, *Chartes des* VIII*e et* IX*e siècles provenant de l'ancienne abbaye de Noailles, près Poitiers, Bibl. de l'École des Chartes*, IX, 1840-1841, p. 78).

exemplarii causa, ut vulgo fieri solebat, scriptis consultus jus respondebat (1). Testis erit ille Ciceronis interpres qui pactorum tabulas utriusque manu signatas, utrique parti servandas traditas esse asserit (2). Junge has duas clausulas, alteram IIº sæculo scriptam quam duæ personæ, quum societatem coïrent, contractus instrumento intexuerunt : *De qua re dua paria tabularum signata sunt* (3), alteram quam e conductionibus Romæ VIIIº sæculo conscriptis excerpsi : *Has duas chartas.., mihi Theodoro magister census urbis Rome scribendas pariter dictaverunt... et sibi invicem tradiderunt* (4).

4° *Scripsi rogatus.* — Usum quidem hujus clausulæ a Romanis traditum fuisse constat, quid vero de verbis dicendum videamus. Primum hæc verba : *Signum illius qui cartam fieri rogavit*, pervulgata in Imperio Francorum reperiuntur, nova quidem et Romanis insolita. Præterea duæ formulæ sunt quas in nonnullis Sangallensibus chartis adhibitas, fere de verbo ad verbum ex antiquis Romanorum exemplis translatas insequens collatio demonstrat.

Ex apochis Pompeianis, a. 55 : *M. Helvius Catullus scripsi rogatu Umbriciæ Antiochidis* (5).

E papyris Ravennatibus a. 572 : *Scripsi ego Johannis forensis rogatus et peditus a Domino,... pso præsente, adstante mihique*

E chartulario Sangallensi, a. 851 : *Scripsi ego Andreas presbiter rogitus a Balfredum* (6).

E tabulario Sangallensi a. 847 : *Scripsi ego Laveso presbiter rogitus et peditus a filios Pociarii... ipsos presentes mihi adque dictan-*

(1) L. 47, D., *De leg.*, 2°, XXXI. L. 10, pr., *Testam. quemadmod. aper.*, XXIX, 3. L. 24, *Qui testam. fac. poss.*, XXVIII, 1. L. 1, § 5, *De bonor. poss. sec. tabul.*, XXXVII, 11. *Exemplaria autem vel in ædes sacras, vel apud tabularios, vel apud amicos deponebantur.* L. 3, § 1, et seq., *De tabul. exhib.*, XLIII, 5. Suetonius, *Cæsar*, 83; *Octavius*, 101.

(2) Inter syngraphas et cetera chirographa hoc interest,... ceteræ tabulæ ab una parte servari solent, syngraphæ signatæ utriusque manu utrique parti servandæ traduntur (Pseudo-Asconius, *ad Ciceronem, in Verrem*, II, 1, 36). *Quod Basilicis confirmatur* (*Basilica*, XXII, 1, 76; Leipzig, 1840, II, p. 503).

(3) *Societatis instrumentum a.* 167 (Bruns-Mommsen, p. 269). *Ætate fere Antoniniana :* Eodem exemplo de eadem re duæ tabellæ signatæ sunt (Wilmanns, *Exempla inscriptionum latinarum*, 2838, II, p. 249). *Cf. : sconsultum de nundinis saltus Beguensis*, p. 186.

(4) Brunner, *Zur Rechtsgesch. der rœm. und germ. Urk.*, p. 93.

(5) Bruns-Mommsen, p. 278; Marini (85, 523).

(6) Wartmann, *Urkundenbuch der Abtei von Sanct Gallen*, 415.

dictante... et subter manu propria... signum faciente (1).

Eadem verba in chirographo a servo Chrysogono scripto jam notavimus.

tes et manus suas proprias subterfirmantes (2).

Sic post tot sæcula vetustissimas Romanorum formulas tabularium Sangallense præbet. Sed quid mirum? Hæc in Rhætia scribebantur, nec ulla regio videtur fuisse ubi populi romani formulæ tamdiu perviguerint.

5° *Complevi et absolvi.* — Superest ut de illa completionis clausula aliquid dicam quæ præcipue his verbis enunciabatur : *complevi et absolvi*, vel novissimis temporibus ita : *post traditam complevi et dedi* (3). Quid vero vel completio vel absolutio esset disputatur. Ut omnia brevissime complectar de quibus doctissimus vir uberius scripsit, pro completo instrumentum habebatur, quum, scheda in mundum redacta, instrumentum a tabellione relectum, recognitum, partibusque recitatum, ab ipsis approbatum erat. Absolutum autem intelligebatur, quum partes sibi invicem instrumenti exemplaria tradiderant (4).

Origo autem clausulæ ab illo notissimo edicto repetenda videtur quo Justinianus cavit ut contractus quos in instrumentum recipi conveniret, quum instrumentum a tabellione conscriberetur, non aliter vires haberent nisi scriptum ab ipso tabellione *completum* et partibus *absolutum* esset (5). Nam quum illo edicto completio et absolutio tanti momenti fierent ut ad perficiendum contractum requirerentur, notarii operæ pretium esse duxerunt si instrumentum completum et absolutum fuisse certa clausula testaretur. Nec ullam ob aliam causam solemnia verba *complevi et dedi* in instrumento forensi Ravennæ anno DLIII exarato primum obversantur.

(1) Marini, 120.

(2) Wartmann, 401. Cpr. Brunner, p. 246.

(3) *Hist. patr. monum.*, I, 1052. Scripsi atque complevi (*Mémoires et documents publiés par la Société d'histoire de la Suisse romande*, XVIII, Chartes sédunoises, 4, p. 340).

(4) Brunner, *Die rœmische Vollziehungsformel* (*Zur Rechtsgesch. der rœm. und germ. Urk.*, p. 67, s.). Paul Fournier, *Étude sur les officialités au moyen-âge*, p. 45, n. 1.

(5) L. 17, C., *De fide instrum.*, IV, 21.

2° Quæ sint cuique formulæ peculiaria.

Quum igitur compertum sit, quod ad communia attinet, formulas secundum legem romanam adeo veteribus populi romani formulis similes fuisse, ut easdem formas, chartæ scilicet et notitiæ, easdem generales clausulas præberent, nunc, inceptam argumentationem expleturus, ad formulis peculiaria veniam. Ut sexcenta vocabula prætéream quæ e Romanorum formulariorum stylo fuerunt excerpta (1), ex eodem fonte plurimæ peculiares clausulæ depromptæ videntur. Ceterum hoc monendum duxi multas secundum legem romanam formulas numerari quas cum populi romani formulis utpote disperditis conferri nequiverint, et ideo de testamentis, de contractibus et traditionibus, et de gestis nobis tantum dicendum esse. Et primum videamus :

I. *De testamentis.*

Nonnulla episcoporum et procerum testamenta Merovingorum ætas nobis prodidit (2), nec testamentorum formulæ desunt (3), nullum vero testamentum Karolinorum ætate conditum invenitur. Quibus in testamentis merum omnino jus

(1) Ætas perfecta (Sirmond., 24 = Lindenb., 74 = Roz., 119). Exitibus et regressibus (*Cluny*, I, 523, 940-941, 875, 954). Cpr., Marini, 123 (616-619), ingresso et egresso. — *Facere instrumentum quis dicitur etsi id non scribat ipse, sed tantum fieri roget* (Marini, I, 119, 551; *Cluny*, 49, 892). Facere rogavit (*Sauxillanges*, 452). 758. Ego Strachfridus donationem a me factam religi... Ego Theotbaldus monachus hanc traditionem scripsi (Neugart, I, 22). Cpr. : Brunner, p. 25. — Mancipia, tam rustica quam urbana (*M. G., Dipl.*, 3, 702). Servi peculiares (Neugart, I, 10, 744).

(2) *Testamenta episcoporum B. Perpetui Turonensis* (Pardessus, I, 49, 475); *B. Remegii Remensis* (118, 533), *B. Cæsarii Arelatensis* (139, 542), *Bertranni* (230, 615), *et Hadoindi* (II, 300, 642), *Cenomanensium, B. Aredii abbatis Attanensis* (I, 180, 573), *abbatissæ Burgundofaræ* (II, 257, 632), *filii Iddanæ* (413, 690), *Erminethrudis*, (452, 700), *Wideradi, abbatis Flaviniacensis* (514, 721. Collect. Flaviniac., 8, Zeumer, p. 476, n. 1), *patricii Abbonis* (*Saint-Hugues de Grenoble*, A, 22). *Quæ testamenta genuina sint vide apud* Fustel de Coulanges, p. 23.

(3) Visig., 21, 22. Marc., II, 17 = Lindenb., 71 = Roz., 129. Collect. Flavin., 8 = Lindenb., 72 = Baluz. maj., 28 = Roz., 128.

romanum observabatur, septem nempe testibus, secundum Theodosii et Valentiniani edictum, rogatis, qui tabulas subscriberent et signaculis seu sigillis suis consignarent (1), partibus vero testamenti ex ordine apud Romanos consueto dispositis, denique antiquis solemnibus verbis adhibitis, ut ex his testamentorum tabulis apparebit quas inter sese componendas hic subjeci.

I. *Proœmium.*

A. — IVº sæc.. *Sanus, salbus, sana quoque mente integroque consilio, memor condicionis omane testamentum feci* (2). VIº sæc., in testamentis Ravennatibus. *Sanus, sana mente, integroque consilio, cogitans humane conditionis ca- Ego ille sanus mente et corpore sanoque consilio, metuens casus humanæ fragilitatis, testamentum meum condidi idemque per* illum *notarium* vel *clericum scribere rogavi,* vel *ego manu propria scripsi* (3).

(1) L. 21, C., *De testam.*, VI, 23 = L. un., *De testam.*, Novellæ Theodosii II, 9 (Hænel, p. 266). 615. Ut lex edocet, septem virorum honestorum subscriptionibus et sigillis credidi muniendum (Pardessus, I, 230).

(2) Bruns-Mommsen, p. 300. Orellius, *Inscriptionum latinarum selectarum amplissima collectio*, 4360, II, p. 277.

(3) Marc., II, 17 = Lindenb., 71 = Roz., 129. Pardessus, I, 230 (615), 300 (642). *St-Hugues de Grenoble*, A, 22 (739). *De humana fragilitate præfandi in testamentis locus erat, quocirca hoc proœmium quasi sempiternum videtur, quod superest in donationibus ævi merovingici et karolini quæ testamentorum vicem explebant :* 722. Ego inluster vir Karolus... cogitans casum humanæ fragilitatis (*M. G., Dipl.*, 11). Cpr. : 5 (706); 12 (726). — 813. Ego, Bera, gratia Dei comes et uxor mea Romella comitissa, sani mente integroque consilio, humanæ fragilitatis memores, ne, quod absit, repentina præveniamur morte, hanc cartam donationis fieri volumus (Dom Vaissette, II, 23). *St-André-le-Bas*, Append., 107 (870). *Sauxillanges*, 297 *bis*, 629. — 943. Cogitavimus casum humanæ fragilitatis (*Cluny*, I, 645). *In testamentis* XIII *sæculi.* — 1298. Sana... mente et corpore... sciens tamen me mortalitati subjectam et me quandoque necessario morituram... condo et facio testamentum meum nuncupativum (l'abbé Chevalier, *Choix de documents historiques inédits sur le Dauphiné*, 1874, 2). *Apud comicum* XVIIº *sæculo :*

Etant en son bon sens comme on a pu connoître
Par le geste et maintien qu'il nous a fait paroître;
Quoique de corps malade, ayant sain jugement;
Lequel, après avoir réfléchi mûrement
Que tout est ici-bas fragile et transitoire,
Considérant que rien ne reste en même état,
Ne voulant pas aussi décéder intestat.

REGNARD, *Le légataire universel*, acte V. scène VII.

sus, ne, ut adsolit, repentina morte præveniar, testamentum feci idque scribendum dictavi illi *forensi*, vel *manu mea olographa subscripsi et valere jussi* (1).

B. — In iisdem testamentis. *Conrogatis mihi testibus numero competenti testamentum feci. — Testium quoque rogatorum numero competenti... subscriptionibus signaculisque firmari... præcipio* (2).

Quod testamentum testibus numero competenti tradidi subscribendum (3).

II. *Clausula codicillaris.*

A. — IV° sæc.. *Quod testamentum meum, si quo casu jure civili vel prætorio vel cujuslibet novellæ legis interventu, vel alia quacumque juris ratione valere nequiverit, etiam ab intestato vice codicillorum meorum valere volo ac jubeo* (4).

VI°-VIII° sæc.. *Quod testamentum meum, si quo casu jure civili aut jure prætorio, vel per alicujus novæ legis interventum valere nequiverit, ac si ab intestato, ad vicem codicillorum valere id volo et valeat* (5).

Hoc quidem e Romanorum consuetudine oriebatur. Nam quum Romæ testatores maxime timerent ne ultima voluntas fieret inanis, accuratissimam in testamentis ordinandis curam adhibebant, vocatis qui testamenta etiam scriberent jurisconsultis, adscripta quoque in testamento aliqua lege qua caveretur ut omnimodo suprema voluntas valeret. Alii enim adiciebant testamentum vice codicillorum observandum esse si jure testamenti valere nequiret. Codicilli autem erant supremæ voluntatis testatio haud solennis, precatoriis verbis concepta, qua heredis fidei committebatur, (unde fideicommissa

(1) Marini, 74 (Circa 55...), col. II, 1; col. III, 5; col. IV, 3; col. V, 7; col. VIII, 1. Bruns-Mommsen, p. 301.

(2) Marini, 74, col. III, 5; col. V, 8; col. VII, 4.

(3) 573. Testamentum nostrum condidimus, quem ego ipsi Aredius... testibus numero competenti tradidimus subscribendum (Pardessus, I, 180).

(4) Marini, 74, col. III, 6; col. IV, 5; col. V, 8; col. VII, 5.

(5) Pardessus, I, 139 (542), 180 (573); 230 (615); II, 300 (642). *St-Hugues de Grenoble*, A, 22 (739).

hæc vocabantur quæ in codicillis scribebantur) ut vel tota hereditas, vel pars hereditatis, vel singula bona ad aliquem pervenirent (1). « *Volo*, aïebant, *quasi codicillos* vel *vice codicillorum id valere, volo ut vim codicillorum scriptura obtineat* ». Quæ lex adeo celebrabatur ut de ea *sæpissime rescriptum et constitutum fuisset* (2). Alii, quippe qui verbis latius conceptis uti vellent, dicebant : *hoc testamentum volo esse ratum quacumque ratione poterit* (3), quod quidem cavillationum et solemnitatum juris impatiens quidam eleganti sermone reddebat : *Hoc meum testamentum scripsi sine ullo jurisperito, rationem animi mei potius secutus quam nimiam et miseram diligentiam; et si minus aliquid legitime, minusve perite fecero, pro jure legitimo haberi debet hominis sani voluntas* (4).

B. Deinde testator cavebat ut legata et servorum manumissiones pro fideicommissis observarentur (supervacua sane verba, quandoquidem jam jusserat ut testamentum vice codicillorum valeret) :

In testamentis Ravennatibus : *quod cuique hoc testamento dedero, legavero, darive jussero, sive constituero, id ut detur fiat fidei heredum meorum committo, quos quas liberos liberasve esse jussero ac voluero liberi liberæque sint* (5).

Quidquid per hoc testamentum meum dedero, legavero, darive jussero, id ut detur, fiat, præstetur, fidei heredum meorum committo (6).

III. Posthæc testator verbis legitimis et imperativis Romanorum more comprobatis cavebat de eo quod post mortem suam fieri vellet, ac primum de heredis institutione, deinceps de exhæredatione, de manumissionibus, de legatis. Instituebantur heredes his verbis : *Tu mihi heres esto. Hæredes mihi estote.*

(1) Cicero, *De finibus*, II, 17.

(2) Plerique pagani solent, cum testamenta faciunt per scripturam, adjicere, velle hoc etiam vice codicillorum valere (L. 3, D., *De testam. militis*, XXIX, 1). L. 1, D., *De jure codicil.*, XXIX, 7. L. 8, C., *De codicil.*, VI, 36, Theodos.

(3) L. 29, D., *Qui testam. fac. poss.*, XXVIII, 1.

(4) L. 88, § 17, D., *De leg.* 2°, XXXI.

(5) Marini, 74, col. III, 7; col. V, 9; col. VII, 8. Cpr. l. 95., D., *De leg.*-3°, XXXII.

(6) Pardessus, I, 230 (615). *Saint-Hugues*, A, 22 (739).

Heres mihi es tu. Hæredem meum te esse volo (1). Qui vero non scribebantur heredes non nominatim sed inter cæteros exheredabantur, veluti his verbis : *cæteri exheredes sunto* (2). Dein servi manumittebantur ita : *Ille liber esto, illum liberum esse volo* (3), denique sic legabatur : *do, lego, dari jubeo* (4).

IV. *Finis testamenti.*

A. Romæ, quum testamentum per æs et libram, prisco more, celebraretur, cæteris solemnitatibus expletis, testator tabulas tenens dicebat; *hæc ita, ut in his tabulis cerisque scripta sunt, ita do, ita lego, ita testor, itaque vos, quirites, testimonium mihi perhibetote* (5).

VI°-VII° sæc. *Ita do, ita lego, ita testor, ita vos mihi, Quirites, testimonium perhibetote testanti* (7).

B. II° sæc.. In testamento Romæ condito : *Lituræ, inductiones, superinductiones quæ in eo inveniuntur, jam testamenti faciundi et signandi tempore factæ sunt* (6).

V°-VIII° sæc.. *Si quæ literæ vel caraxaturæ in hunc testamentum meum inventæ fuerint, ego feci fierique præcipi, dum mihi sæpius testamentum volui recenseri et crepius emendare,* vel *dum a me religitur et emendatur* (8).

II. *De contractibus et traditionibus.*

Nunc ad chartas accedamus in quibus de obligationibus contrahendis et de rebus alienandis agebatur. Multæ quidem

(1) Pardessus, I, 118 (533), 230 (615). *Saint-Hugues*, A, 22 (739). Gaius, II, §§ 116, 117.

(2) Pardessus, *ib.*, II, 452 (700); *Saint-Hugues*, *ib.*, Gaius, II, § 128.

(3) Pardessus, *ib.*, I, 49 (475); *Saint-Hugues*, *ib.*, Gaius, II, § 267; L. 52, 59, D., *De manum. testam.*, XL, 4.

(4) Pardessus, I, 49 (475), II, 452 (700). Gaius, II, § 193. L. 89, § 2, *De leg.* 2°, XXXI, ita legavit... dari volo.

(5) Gaius, II, § 104.

(6) Giraud, *Novum Enchiridion juris Romani*, 1873, p. 660, § 13. Et ideo si novissime (ut solet) testamento fuerit adscriptum : « lituras, inductiones, superinductiones ipse feci » (L. 1, § 1, D., *De his quæ in testamento delentur, inducuntur, vel inscribuntur*, XXVIII, 4).

(7) Pardessus, I, 118 (533); II, 452 (700).

(8) Pardessus, I, 118 (533); II, 413 (690); 452 (700); *Saint-Hugues*, A, 22 (739).

clausulæ occurrunt quæ ex communi fonte populi romani formularum haustæ fuerunt.

1° *Mandatum*. Primum aliqua mandati lege cavebatur ut quidquid procurator procurationis causa egisset a mandante ratum haberetur.

II° sæculo, e responsis Scævolæ : *Quare scias quodcumque ab ea ex hac causa stipulatus fueris, id me mea fide esse jussisse, salvum te habiturum. Me omnia firma esse a te facta existimante, et non contrarium dicente tibi ad nullam operationem* (1).

VIII° sæc.. *Quicquid exinde egeris gesserisve apud me in omnibus et ex omnibus ratum et aptum atque transactum in omnibus definitum esse cognuscas* (2).

2° *Mortis causa donatio*. Romani eum mortis causa donare dicebant qui ita donat ut, si moriatur, habeat is qui acceperit, sin autem supervixerit is qui donaverit, rem recipiat. Quum ergo is qui mortis causa donat se primum ac præcipue cogitet, inde in proverbii consuetudinem hæc sententia venerat : *donatorem habere se malle quam eum cui donat, magisque eum cui donat, quam heredem suum* (3). Quæ etiam, mendosa quidem et inanis, quum apud Romanos, tum Barbarorum ætate, donationum instrumentis inculcari solebat.

Ex interpretatione Breviarii :

In donationibus, quæ mortis causa fiunt, hæc verborum solemnitas custoditur : « Illum agrum aut illam domum te malo habere quam me, te quam heredes meos ».

E formulis Andegavensibus.

Rem superius nominata, quod a vobis delegabi, malit te quam me, te quam relicus heredibus meis (4).

(1) L. 60, § 1, l. 59, § 5, l. 62, § 1, D., *Mandati*, XVII, 1.

(2) Senon. 13 = Roz., 387.

(3) *Sic apud Homerum, Telemachum vasa aurea et argentea Piræo donavisse Romani dicebant : « Piræe, quoniam incertum est qualis harum rerum exitus sit futurus, si me feroces proci domi ex insidiis necent, paternasque opes diripiant, malo te vasa hæc tibi habere quam illorum quempiam. Si autem ego illis interitum afferam, tum vero tu lætus mihi læto domum illa referes »* (L. 1, 35, § 2, D., *De mort. causa don.*, XXXIX, 6).

(4) Pauli, *Sent.*, II, 24, § 6, interpret.. Andegav. 41 = Roz., 247. — Cpr.

3° *Emptio venditio.* Plura vero de emptionibus venditionibus nobis dicenda sunt :

Primum, venditores *placitum* pretium sibi ab emptoribus *numeratum* fuisse dicere consueverant.

VI° sæc.. In instrumento Ravennati :

Acceperunt... venditores ab eundem emptorem... juxta placitum suum prætii nomine, id est auri solidos... probitos... optimos pensantes numero centum decem (1).

VII° sæc.. E chartis monasterii Moisiacensis :

Et accepimus a vobis pretium, et nobis bene complacuit. Hoc est solidos auri purissimi septengentos (2).

Variæ præterea leges in venditionibus adhibebantur. Venditor enim dicebat : 1° Quum servus venderetur, quicquid esset in eo vitii præstandum esse (3); 2° in omnibus venditionibus, nullam esse causam cur res evinceretur; 3° denique, evictionem, si qua accideret, præstandam (4).

Primum abesse occulta vitia servorum his verbis aut similibus venditor affirmabat :

II° seculo. Ex tabulis ceratis : *Eum puerum sanum traditum esse, furtis noxaque solutum, er-*

Ex form. Marc., quæ inscribitur : *venditio de servo aut de ancilla :*

formulam mandati quod loco donationis contractum esse suspicari possumus (Append. Marc., 25 = Lindenb., 181 = Roz., 387). Zeumer, p. 190, n. 2. *In his omnibus locis de donatione inter virum et uxorem agitur quam mortis causa donationi vicinam esse Romanis placuerat* (L. 32, § 1, D., *De don. int. vir. et ux.*, XXIV, 1, *Fragm. Vatic.*, § 294).

(1) Marini, 114 (539 aut 546). Bruns-Mommsen, p. 256 (142), 259 (139), 261 (160, 159). L. 9, C., *De contrah. empt.*, IV, 38, placito autem pretio, nec numerato.

(2) Pardessus, II, 393 (680).

(3) *Ædilitio edicto sanctum erat ita :* Qui mancipia vendunt, certiores faciant emptores quid morbi, vitiive cuique sit, quis fugitivus errove sit, noxave solutus non sit (L. 1, § 1, D., *De ædil. edicto*, XXI, 1. Cicero, *De officiis*, III, 17). *Consuetudo vero obtinuerat ut non solum, quicquid vitii in servo esset, id diceretur, sed etiam, si vitia abessent, nihil vitii esse affirmaretur, verbi gratia : Servum non fugitivum, non erronem esse.*

(4) *Eædem leges in donationibus medio ævo dicebantur.*

ronem, fugitivum, caducum non esse præstari (1).

Non furo, non fugitivo, neque cadivo, sed mente et omne corpore sano (2).

Neque aliter res se habet in Cluniacensibus chartis x° seculo exaratis (3).

2° Quum vero evictionis causas abesse venditores dicerent, his verbis utebantur :

Ex instrumento Pompeiano servorum venditionis.

Juravit pueros Simplicem et Petrinum... sua esse seque possidere, neque ea mancipia... ulli obligata esse neque sibi cum ulo communia esse (4).

Ex instrumento Ravennati. a. 572.

Nulli antea a se donatas, cessas, neque distractas, nec alicui obligatas, nec cum quoquam habere et esse communes, professus est (5).

E Longobardicis chartis : 967.

Nulli alii venditis, donatis, alienatis, opnossiatis vel traditis nixi tibi (6).

(1) 139. Eam puellam sanam esse furtis noxisque solutam, fugitivam, erronem non esse, præstari (Bruns-Mommsen, p. 260). Cpr. : l. 17, § 20, l. 31, § 1, D., *De ædil. edicto*, XXI, 1. L. 2, *De rer. permut.*, XIX, 4. L. 16, § 2, *De evict.*, XXI, 2. Brisson, p. 549, s..

(2) *Visig.*, 11. Marc., II, 22 = Lindenb., 133 = Roz., 290. Non furo, non fugitivo, non cadivo nec nulloque vitio in se habente; sed in omni corpore scimus eum sanum usque anno et die (Salicæ Bignon., 3 = Lindenb., 132 = Roz., 295); 5 = Roz., 296.

(3) Circa a. 940. Dono tibi servum unum, nomine Arvol... cattivo, set mente et corpore sano (*Cluny*, I, 516). Cattivo *vox corrupta pro* cadivo, *quod verbum idem atque* caducus *significat*. — 941-942. Dono vobis ancilla mea, nominative Dominica cum infantibus suis, non furor, non fugitiva, neque captiva, set sana menta et corpora (541). — 946-947. Dono vobis servos quorum hec sunt nomina... et hii servi non sunt figitivi, neque captivi, sed mente et corpore sani (694).

(4) Eck, *Neue pompeian. Geschäftsurk.* (*Zeitschr. Savigny*, 1888, p. 96). Instrumento cautionis... quo caverat Sejus fundum nulli alii esse obligatum (L. 9, § 1, D., *Quib. mod. pign.*, XX, 6).

(5) Marini, 120, 38.

(6) Ticini, *Cluny*, II, 1228. *Hist. patr. monum.*, I, 170 (991, Astæ), 221 (1010, Novaræ), 349 (1059, Corte), 419 (1092); 555(1172, Novaræ).

3° Denique, re postea evicta, primum dupli pretii pœna committebatur ex aliqua stipulatione quæ, quum in omnibus fere venditionibus includeretur, etsi fuisset omissa, pro interposita habebatur (1). Insuper lex contractus quædam dicebatur (*rei duplariæ satisfactio*, VI° sæculo, appellata) (2) ut, quanti res esset quo tempore evinceretur, id in duplum emptori præstaretur, hoc etiam adjecto : si emptor rem opera et sumptibus suis meliorem fecerit, ac pretium auxerit quo res potuerit vendi, id etiam in judicium admittendum esse. Ut ad formulas secundum legem romanam transgrediamur, iisdem fere legibus venditiones contrahebantur. Sed obtinuerat ut non jam duplum pretii sed tantum *duplex satisfactio* præstaretur, nec ab emptore tantum, sed a quovis homine *qui contra cartam venire tentaret*, sive ab emptore, sive ab extranea persona, nec semper ei qui evictionem passus esset, sed aliquoties *egenti fisco* exsolveretur (3). Ceterum pacta de præstanda evictione interposita, ex antiquis formulis Romanorum iisdem fere verbis videntur transsumpta.

VI° sæc.. *Duplum pretium solidorum et rei melioratæ... taxationem habita a...venditore...comparatori... .cogantur inferre* (4).

II° sæc., e tab. cer. : *Eam pecuniam et alterum tantum dari promisit* (5).

IX° sæc.. E chartul. Anianensi : *Componat ipsas res melioratas duplas, sicut eo tempore vendere potuerint* (6).

XI° sæc.. E chartis Longobardicis : *Res in duplum sicut pro tempore fuerit meliorata aut ua-*

(1) Quia assidua est duplæ stipulatio, idcirco placuit, etiam ex empto agi posse, si duplam venditor mancipii non caveat : ea enim quæ sunt moris et consuetudinis, in bonæ fidei judiciis debent venire (L. 31, § 20, D., *De ædil. edicto*, XXI, 1).

(2) 539-546. Omnem ævictionem legis dupplariæ rei satisfactionis fidem dicentes (Marini, 114).

(3) Pardessus, I, 241 (627), duplex satisfactione fisco egenti exsolvat. Dom Vaissete, II, 96 (838-840), 156 (861), 193 (876).

(4) Marini, 115 (540), 11.

(5) Bruns-Mommsen, p. 260 (139). 539 aut 546. Quod si a quoquam personam... vigenti jugerorum suprascriptorum inquietata fuerent vel ævicta, tunc suprascripti centum decem solidos quos... se nomeratos accepisse dixerunt, set et alterum tantum..., ævictionis nomine duplariæ,... cogantur inferre, vel quantum emptori... interfuærit inquiætari, evincivæ rem minime debuisse, et rei quoque meliorate instructe ædificateque taxatione habeta duplariæ rei recte dari... stipulatus est Peregrinus (114, 61).

(6) *Cartulaire de l'abbaye d'Aniane* (Dom Vaissete, II, 78, 829). Cpr. : *Sauxil-*

luerit, sub extimacione in consimile loco... promitto (1).

IX°, X° sæc.. E diversis locis: *Componat tantum et aliud tantum* (2).

Sic formulæ, vetustate quidem aliquanto deformatæ, barbaro sermone etiam obscuratæ, facile agnosci possunt. Sed ne plura complectar, aggrediamur ad illam necessariam omnium cartarum clausulam, stipulationem scilicet.

4° *Stipulatio.* — Stipulationem ex interrogatione et responsione solemnibus verbis conceptis velut : *spondes? spondeo,* constare supra dixi. Omnibus autem fere pactis Romani stipulationem subjiciebant, sive nudis pactis ut actio nasceretur (quum veteres Romani ex solo consensu, nulla solemnitate adhibita, neminem obligari voluerint (3)), sive juris civilis contractibus, ut actio firmior, certior et utilior fieret. Exempli gratia, quum Flavius Hermes Claudio prædium Cornelianum vendit, postquam de fundo, de prædii ornamentis, de rei venditæ traditione, de pretio convenit, Claudius emptor a venditore stipulatur in hæc verba : *ea recte dari fieri spondes?* Flavius Hermes, quum *spondeo* dixit, Claudium interrogat ita : *tantam pecuniam dari spondes?* Claudius : *spondeo.* Item in ovium venditione emptori ita interroganti : *Tanti sunt mihi emptæ?* venditorem respondere *sunt* apud Varronem legimus (4). Nec aliter in ceteris pactis fiebat, ita ut stipulatio commune omnium obligationum adstringendarum vinculum quodam modo videretur. Postquam vero stipulatio fuisset interposita, tabulæ scribebantur, eo ordine scripturæ constituto ut a pactis conventis inchoarentur, ac pactorum novissima parte obliquis verbis stipulatio adscriberetur, velut in hunc modum, *stipulatus*

langes, 231 (anno V Lothario rege) : duplas terras legaliter exsolvat; 397 (Rotberto rege) : duplas terras componat aut XX solidos.

(1) *Hist. patr. monum.,* I, 273 (1028), etc..

(2) *Cartulaire de l'abbaye d'Aniane* (Dom Vaissete, II, 25, 814). Collect. Flavin., 7; Zeumer, p. 475 = Roz., 203. *Saint-André-le-Bas,* append. chart. Viennens., 106 (870); *Cluny,* II, 1122 (962). — 1005. Si ullus homo... donationem... infrangere voluerit, tunc sit culpabilis... dupla pecunia (Mallet, *Chartes inédites relatives à l'histoire de la ville et du diocèse de Genève,* 1862, 1).

(3) Fustel de Coulanges, *La cité antique,* 7e édit., p. 224.

(4) *De re rustica,* II, 2.

est Flavius Hermes, spopondit Claudius. Reperitur autem hæc stipulationis clausula omnibus fere contractibus ac traditionibus a VI° sæculo ad XI^{um} sæculum subjuncta atque iis solemnibus verbis concepta, quæ seu ex legibus, seu ex formulis Romanorum fuerant exscripta, quod protinus perspecturi sumus :

1°. Sæc. I° et sequentibus ex tabellis ceratis : *Stipulatus est ille, spopondit ille. Rogavit ille, promisit ille. Stipulanti illi, spondi ille* (1).

2°. Ex fragmento quodam Ulpiani : *Stipulatio interposita.* VI° sæculo, ex codice Pataviensi et instrumentis Ravennatibus. *Stipulatione et sponsione interposita.* Hæc formula reperitur seu sola, seu in eodem instrumento adhibita una cum verbis *stipulatus est, spopondit* (3).

E formul. Visigoth. :

Stipulans stipulatus sum; stipulatus sum et spopondi.

E form. Bituric. :

Hæc stipulans stipulati sumus atque spondimus (2).

A VII° sæculo usque ad IX^{um} sæculum :

Cum stipulatione interposita (4).

(1) Stipulatus est Lucius Titius pater, spopondit Lucius Titius filius (L. 37, § 3, D., *De leg.* 3°, XXXII). Rogavit Titius, spopondit Mævius (L. 7, § 12, D., *De pact.*, II, 14). Hübner, *Ein pactum fiduciæ* (*Hermes*, III, 1869, p. 283). H. S. n. ∞ LD. argentum probum recte dari stipulata est Dicidia Margaris, spopondit Poppea Prisci liberta Note (Eck, *Zeitschr. Savigny*, 1888, p. 67). Bruns-Mommsen, *Donationes*, p. 252 (174), p. 253 (252), p. 255 (250), *Emptio puellæ*, p. 260 (139), *Mutui datio*, p. 267 (162), *Societas*, p. 269 (167). — 523. Stipulanti ss. viro beatissimo et actoribus tuis in præsentia constitutis in verbis solennibus spopondi ego Johannis (Marini, 85). Cpr. 92 (Romæ, sæc. VI aut VII), 108. — 539-546. Stipulatus est... emptor, spoponderunt... vindetores ad omnia suprascripta (114). — 540. De qua re et de quibus omnibus suprascriptis stipulatus est... emptor, spopondit... venditor ad omnia suprascripta vervis solemnibus (115). 117 (541), 118 (circiter 540), 119 (551). *Pleraque ex iis negotiis acta sunt Ravennæ.*

(2) Bituric., 2 = Roz., 324. Arvern., 5 = Roz., 51. Visig., 1, 6, 41. Zoepfl, *Alterthümer*, II, p. 346.

(3) L. 19, pr., D., *De evictionibus*, XXI, 2. Zoepfl, *Alterthümer*, II, p. 345. — 564. Stipulatione et sponsione interposita. Actum Ravennæ (Marini, 80, col. II, 3). 572. De qua re et de quibus omnibus suprascriptis stipulatione et sponsione interposita (120). Cpr. 88 A, 90 (sæc. VI, VII), 99 (852), 108, 121, (sæc. VI exeunte), 122 (591), 136 (Romæ, 879). *Adde :* 553. Stipulationis et sponsionis robore confirmatam (Ravennæ, 86).

(4) Roz., 306; Pardessus, I, 241 (627), 413 (690); *Saint-Vincent de Mâcon*, 55 (825).

3° Deinde est *stipulatio Aquiliana*, seu *lex*, id est clausula Aquiliana, quandoquidem lex pro clausula seu conditione pacti sæpissime dicitur :

Anno DLI, in instrumento Ravennati, posita in medio scripti stipulationem extrema parte insertam prænuntiat. *Aquiliane quoque Nervianeque legum vigore subjungenti, sed et stipulationis valeditate legitima sollemnitate... Stipulanti... spopondimus* (1).

In formul. Visig.:

Aquilianam quippe commemorans legem, qui omnium scripturarum plenissimam tribuet firmitatem (2).

In formul. Andegav.:

Roboratas omni tempore cum lege Aquiliana (3).

In formul. Turon. :

Cum stipulatione Aquiliana firme permaneant (4).

VIII° sæc. Ex traditionibus S. Galli.

Et cartola donationis sua obteniat firmitatem Aquilianis, Arcacianis leges estibulacionis, quia omnium cartarum accommodat firmitatem (5).

4° His tribus formulis stipulationum notatis, quarta sequitur hæc : *cum stipulatione subnixa*, quæ in ceterarum formularum locum paulatim fuit suffecta (6). Quæ quidem, licet ad

(1) Marini, 119 (551), 57. *Forte aliquis Nerva formulam Aquilii Galli in aliquo loco mutaverat.*

(2) Visig., 1, 6, 7, 20.

(3) Andegav., 36 = Roz., 171.

(4) Sirmond., 17 = Roz., 245.

(5) Neugart, I, 14, 15 (744-745).

(6) Pardessus, *De la formule cum stipulatione subnixa* (*Bibliothèque de l'École des Chartes*, II, 1840-1841, p. 432, s.). Sickel, *Beiträge zur Diplomatik* (*Sitzungsberichte der Kaiserlichen Akademie der Wissenschaften, philosophisch-historische Classe*, XLVII, 1864, p. 607, s.). Pardessus, I, 108 (526), 127 (538), 237 (625), 253 (631), etc. *Fontes rerum bernensium*, I, 144 (1107). *Hist. patr. monum.*, I, 705 (1196). *Sunt aliæ formulæ quæ e superioribus procedunt. In Provincia :* 909. Stipulatione interposita pro omni firmitate subnexa. Avenione (*Cluny*, I, 105). Arelate (*Saint-Victor de Marseille*, II, 1042, 979). *Lérins*, 149 (1032), 230 (1007 aut 1022), 247 (824). *In Viennensi :* Circ. 830. Stipulatione et sponsione pro omni firmitate subnixa (*Saint-Hugues*, A, 7). 870. Cum omni sponsione et postulatione subnixa (*Saint-André-le-Bas*, Append. chart. Viennens., 107).

Barbarorum ætatem in instrumentis nunquam occurrat, non tam nova videtur ut nullum ejus principium in Romanorum jurisperitorum sermone possit deprehendi. Jam enim stipulationis clausula *stipulatio subjecta* vel *subdita* aliquando appellabatur (1). Quid vero inter *subnixam* et *subditam stipulationem* intererat, quum *nectere* nihil aliud esset nisi *inserere* (2)?

III. *De gestis municipalibus.*

Primum breviter commemoremus quomodo chartæ gestis mandarentur, seu, ut verbo et consuetudine utar, quomodo *gesta haberentur*. Certis igitur diebus, quum defensor et curia in foro publico sederent, et *amanuensis* curiæ assideret, et is qui aliquam chartam in acta mitti cupiebat, vel suus procurator, cui nomen *prosecutor*, præsens adesset, colloquium quoddam solemnibus verbis conceptum explicabatur. Primum, postquam defensor, rogatus ut charta gestis alligaretur, annuisset, ipse prosecutor vel amanuensis chartam *recitabat* seu *profitebatur*. Deinceps defensor jubebat chartam in publicos codices translatam perscribi, quo facto, magistratus gesta subscribebant.

Singula quidem seorsum in quibusdam negotiis solemni more observabantur. Mandatum enim coram curia jurabatur. Si autem de testamento aperiendo agebatur, intra *dies legitimos* vocatis *signatoribus* tabulæ offerebantur, ut ii subscriptiones et sigilla recognoscerent; deinceps, lino inciso quo tabulæ ligabantur, testamentum aperiebatur, legebatur et in gesta referebatur.

Pactorum vero vel testamentorum tabulis in acta publica perscriptis, prosecutor *gestorum editionem* postulabat; id est ut gestorum exemplum defensoris et curialium subscriptionibus roboratum sibi traderetur.

De hoc non jam plura dicenda sunt. Nunc sequitur ut antiquissimas gestorum formulas (videlicet a gestis municipalibus Ravennæ sumptas), merovingici et karolini ævi gestis, secundum propositam rationem, conferamus.

(1) Stipulatio subjecta (L. 3, C., *De rer. permut.*, IV, 64, Dioclet.).

(2) *Verbi gratia :* Gestis adnecti, *id est gestis mandari.*

Gesta in civitatibus Galliæ Barbarorum ætate habita :

Anno illo, regnante rege illo, sub die illo, civitate illa, adstante viro illo laudabile defensore et omni curia illius civitatis, vir magnificus ille prosecutor dixit : Quædam in manibus habeo quæ gestorum cupio allegatione roborari. Peto, optime defensor, vosque laudabiles curiales, ut mihi codices publicos patere jubeatis. Defensor et curiales dixerunt : Patent tibi codices publici. Prosequere quod optas, dicere non moreris (1). Deinde mandatum alligandi et ipsum negotium recitantur. *Post recitationem vero, vir laudabilis ille defensor et curiales dixerunt : Epistola quæ recitata est gestis publicis inseratur* (2). *Post hæc curia ait : Si adhuc aliquid habes ex hac causa aut agere debeas, dic tu in præ-*

Gesta habita Ravennæ :

Consule illo, vel ut legimus in recentioribus gestis, *Imperatore illo, anno illo, sub die illo, Ravennæ, apud N.* defensorem *et magistratus, N.* dixit (3) : *Paginam donationis præ manibus gerimus, quæsumus laudabilitatem vestram ut eamdem suscipi jubeatis, legi et actis indi* (4).

Erat autem Italicæ consuetudinis ut mandatum seu *licentia allegandi* negotii ipsius instrumento insereretur, et ut instrumentum non ab ipso prosecutore sed ab *exceptore* curiæ recitaretur : *N.*, defensor, *magistratus dixerunt : Suscipiatur pagina largitatis quæ offertetur et a competenti recitetur officio* (5) *et gestis præsentibus inseratur* (6). *Cumque tradita et recitata est* (7). Sequitur recitatio instrumenti. *Magis-*

(1) Marc., II, 37 = Roz., 259.
(2) Marc., II, 38 = Roz., 259.
(3) Marini, 94 (625).
(4) Marini, 82 (489), col. I, 4. — *Quum charta testamenti aperienda curiæ offertur, prosecutor ita rogatur :* ut eandem... suscipi jubeatis, testibus præsentibus ostendi, ut si signacula vel superscriptiones suas recognoscunt, singuli absque sui injuria edicere dignentur, deinde eam resignari præcipiatis, linum incidi, aperiri et per ordinem recitari faciatis (Marini, 74, col. III, 10; col. IV, 9). Cf.: D., *Testamenta quemadmodum aperiantur, inspiciantur et describantur.* Pauli *Sententiæ*, IV, 6, § 3. Illatum deinde Augusti testamentum non admissis signatoribus, nisi senatorii ordinis, ceteris extra curiam signa agnoscentibus, recitavit per libertum (Suetonius *in Tiberio*, 23). *In Imperio Francorum nulla jam exstat hujus rogationis formula, sed plane ad eandem formam scribebantur et rogatio et mandatum alligandi testamento inclusum hisque verbis enuntiatum :* ut recognitis segillis, incisо lino, ut romane legis decrevit auctoritas... gestis reipublice municipalibus titulis... muniatur (Marc., II, 17 = Lindenb., 71 = Roz., 129).
(5) Marini, 82, col. I, 9.
(6) Marini, 94, 8.
(7) Marini, 82, col. I, 9; 94, 9.

sente. Ille prosecutor dixit (1) : *Sufficit mihi, bone defensor, si mihi gesta, ut mos est, tradere jubeatis. Defensor et ordo curiæ dixerunt : Edatur ordine et mandatum et totus textus* (2) *subscriptionibus roboratum* (3). *Defensor et curiales subscribant atque signent* (4).

tratus dixerunt : Quod lectum est actis indetur et adi (5). *Magistratus dixerunt : Quid nunc præsens actor fieri desiderat? Actor dixit : Petimus laudabilitatem vestram ut gesta nobis edi jubeatis ex more. N. et Magistratus dixerunt : ut petisti gesta vobis edentur ex more* (6) *cum nostra subscriptione* (7). *N. gesta apud me habita recognovi. Ille curalis gestis apud nos habitis subscripsi. Ille curialis gestis apud nos habitis subscripsi. Ille exceptor curiæ civitatis Ravennatis his gestis ededi* (8).

Sed hæc hactenus. Non ignoro me multa prætermisisse, quum formulas, inter sese componerem vel quia timui ne aliquid incompertum dicerem (9), vel quia quemdam modum in

(1) Andegav., I = Roz., 260.
(2) Lindenb., 73 = Roz., 259.
(3) Roz., 262, § 1.
(4) Lindenb., 73 = Roz., 259.
(5) Marini, 82, col. II, 7.
(6) Marini, 83, col. III, 1 ; 88 A, col. II, 7.
(7) Marini, 83, col. V, 4.
(8) Marini, 88 A, col. II, 9. L. 151, C. Th., *De decurionibus*, XII, 1.
(9) *Nonnulla solemnia verba obversantur quæ ex veteribus Romanorum formulis fuisse sumpta suspicor :* 1° *Verba* vindicta liberare *in manumissionum formulis Arvernensibus, Bituricensibus et Senonicis* (Zeumer, p. 30); 2° *in plerisque ad manumissionem in civem romanum pertinentibus chartis et in ipsa lege Ribuaria, hæc solemnis conceptio :* porte aperte cives Romana se esse agnoscant (Thévenin, 50. Lex Ribuaria, LXI, 1. *M. G., L. L.*, p. 252). *Illis enim verbis pessima dedititiorum libertas commemorabatur quos non solum Romam intrare, sed etiam intra centesimum milliarium morari antiqua lex vetabat.* 3° *Hæc donationum clausula : Charta Frotarii Bituricensis archiepiscopi pro abbatia Belliloci a.* 887 *exarata* (Dom Vaissete, II, 205). Licet namque in cessionibus pœna minime sit inserendi necessaria, nobis quoque pro firmitatis studio placuit inserere (Bituric., 15 = Roz., 221). Marc., II, 4 = Lindenb., 16 = Roz., 345, § 1. 4° *Hæc cautionis formula :* Per hunc vinculum cautionis spondio, me Kalendas illas proximas ipso argento vestris partibus esse redditurum (Marc., II, 25 = Lindenb., 142 = Roz., 368). Quæ dari

afferendis argumentis adhibendum esse judicavi (1). Profecto nonnulla sunt, in hac tanta chartarum et formularum varietate, quæ me fugerunt. Quidquid id est, satis superque dixisse censeo quo formulas secundum legem romanam e Romanorum formulis transcriptas fuisse demonstraretur.

Quintiliano, heredive ejus,... calendis Novembribus, quæ proximæ sunt futuræ, stipulatus est Zosas libertus, spopondit Candidus (L. 126, § 2, D., *De verb. obl.*, XLV, 1). L. 141, § 6; L. 41, pr., 47.

(1) *Duas tamen formulas non omnino prætermittam :* 1° *Hoc multarum chartarum initium :* CONSTAT vendere (*vel* donare) et tradere... 539 aut 546. Constat heos hd. distraxisse pariter et distraxerunt adque tradidisse et tradederunt (Marini, 114, 7), 120 (572) 7; 122 (591). *Cpr. :* Ille scripsi me accepisse et accepi ab illo mutuos et numeratos decem (L. 41, § 2, D., *De usur.*, XXII, 1). Turon., 8 = Roz., 279; Andecav., 21 = Roz., 280; Bignon., 3 = Roz., 295; Lindenb., 15 = Roz., 292; Merkel., 11 = Roz., 278; Formulæ Augienses, B, 39 = Roz., 283; Marc., II, 22 = Lindenb., 133 = Roz., 290. *Hocce instrumentum in quo alia etiam formularum romanarum vestigia apparent :* 848. In Christo patri Altfrido, gratia Dei episcopo, emptori, ego, Gunthard et Athiluin, venditores. Constat nos tibi vendidisse et ita vendidimus, id est comprehensionem nostram in silva que vocatur Uuitherouuald, quam conprehensionem homines tui una nobiscum circuierunt et novis signis obfirmaverunt. Et accepimus a te pretium, sicut inter nos convenit, hoc est..., stipulatione subnixa. Acta in Uuerthina monasterio (Lacomblet, *Urkundenbuch des Niederrheins*, I, 64 = Thévenin, 81). — 886-887. Nos... venditores constat nos vobis vendere ita et vendidimus, tradere et tradidimus, res proprietatis nostræ... vobis publice tradimus (*Beaulieu*, 10). Constat nos vendidisse... quod ita et vendidimus (*Sauxillanges*, 254, regnante Lothario rege Francorum). Cpr. : 991. Constad nos... accepissemus et... accepimus... precium... uendimus, tradimus et mancipamus (Astæ, *Hist. patr. monum.*, I, 170). — 2° *Hæc verba :* tradere (*vel* conferre) A DIE PRÆSENTI. 553. Conferimus... a præsenti die (Marini, 86, 16). 639. Huic chartulæ donationis a præsenti die (95, 10). 109. *Acta sunt hæc Ravennæ*. 728. Donamus a die præsente... A die præsenti dono atque transfundo... ut ab hac die... liberum in omnibus patiantur arbitrium (Trouillat, *Monuments de l'histoire de l'ancien évêché de Bâle*, I, 35). Neugart, I, 115 (791). Circ. 940. Totum a die præsenti tradimus atque transfundimus (*Cluny*, I, 519).

CAPUT II.

QUOS LEGUM ROMANARUM LIBROS FORMULARUM SECUNDUM LEGEM ROMANAM SCRIPTORES ADIISSE VIDEANTUR?

Non solum populi romani formulas sed etiam legum romanarum libros, formularum secundum legem romanam scriptores evolvisse eo magis constat quod legum locos de verbo ad verbum in formulas sæpissime transcribebant, ita ut plurimarum formularum exordia a legis romanæ sententiis depromerentur. Nunc vero videamus, inter legum romanarum libros qui ea ætate obversabantur, alios juris antejustinianei, alios juris justinianei codices, quibus formularum scriptores usi fuerint.

1° Juris antejustinianei codices.

Hujus juris tria monumenta sunt, videlicet (ætates et tempora persequendo) : 1° antiquissima legum volumina, nempe scripta antequam Imperium eversum esse, imprimis Codex Theodosianus prioris editionis (CCCCXXXVIII); 2° lex Romana Visigothorum; 3° codices ætate minores, legis scilicet Visigothorum epitomæ et lex romana Burgundionum.

I. *Antiquissimi legum codices.*

Antiquissimis legum romanarum libris nostrarum formularum auctores usos fuisse non ex eo colligendum est quod vel Codicem Theodosianum, locupletissimum imperialium constitutionum thesaurum, vel extraneas constitutiones laudare consueverant.

Nam primum, quum Breviarium ab ipso Aniano inscriptum: *Codex de Theodosii legibus atque sententiis juris vel diversis libris electus*, sæpius (ut patet ex manuscriptis) *Lex Theodosii*, brevius nuncuparetur (1), quoties Codicem Theodosianum expromebant, revera Breviarium videntur usurpavisse (2).

Deinde perpaucæ sunt constitutiones quæ in formulis quidem prolatæ, neque in Breviario, neque in lege romana Burgundionum reperientur. Exemplo sint illud Honorii et Theodosii edictum Codici Theodosiano insertum, quod vetabat a civitatum curatoribus instrumenta gestis alligari, vel hæc eorumdem imperatorum de renovandis instrumentis constitutio (3) cujus etiam aliquid fragmentum in procemio formulæ Arvernensis *apennis* dictæ exstare opinor (4), quam neque lex Wisigothorum complectebatur, neque inter ceteras Codicis Theodosiani reliquias reperimus quæ proximis temporibus inventæ et publici juris factæ sunt. His admodum exceptis, omnes legum roma-

(1) Brunner, *Deutsche Rechtsgeschichte*, I, p. 359.

(2) In Theodosiano Codice (Roz., 219). Ex corpore Theodosiani (Sirmond., 11 = Lindenb., 138 = Roz., 54). 871. Theodosiana declarat potestas (*Beaulieu*, Introd., p. 84, n. 3).

(3) Ista principium Honorio et Theodosio consulibus eorum (Baluz., min., 1, 2 = Roz., 403).

(4) Incipit item appennis. Quicumquæ ad latruncolus sceleratorebus, sediciosis seu incendiariis, in qua provincia vi aut damnum pertullerit, oportit hoc eidem rectores civium seu curialis provinciæ, in qua perpetratum fuerit perhibitur, palam ostendere et puplica denonciacionem manifestare (Andegav., 32 = Roz., 407 = Thévenin, 6).

Locum ita emendandum censeo :

Quicumque a latrunculis, sceleratis, seditiosis seu incendiariis, in quacumque provincia vim aut damnum pertulerit, oportet hoc idem rectoribus provinciæ seu curialibus civitatis, in qua perpetratum fuerit, perhibere, palam ostendere, et publica denuntiatione manifestare.

Addenda hæc quæ excerpsi ex quodam testamento quod dabatur anno DCXXXII : « in lege quoque Theudosiana, ut est insertum, sic trado, eo ut unusquisque de facultate laïcali, qui filios non reliquerit, ad suos heredes legitimos debeat deferre » (Pardessus, II, 257), *et e quodam præcepto regali anni DCCCXCIV : « illud etiam inserere jussimus ut, si aliquis nostro facto refragator in aliquo repertus fuerit, mox penam quam Lex Theodosii precipit, id est XXXa libras auri, esse multandum.* (*Saint-Hugues de Grenoble*, A, 27, p. 67). *Qui formulas et instrumenta illis temporibus conscribebant, nonnunquam commenticias legum romanarum sententias proferre audebant, quod infra explicabitur.*

narum sententias quæ in formulis atque instrumentis memorantur, Breviario vel lege romana Burgundionum contineri fatendum est.

II. *Lex romana Visigothorum.*

At inter codices in quos jus antiquum Romanorum, everso Imperio, collatum est, lex romana Visigothorum maxima præstitit auctoritate. Breviarii enim sententiæ commemoratæ, et ipsarum sententiarum verbâ perscripta reperiuntur in formulis Visigothicis, Turonensibus, Marculfi, Bituricensibus, Lindenbrogianis, et in instrumentis apud Andecavos, Aurelianenses, Septimanos, Burgundiones et Massilienses XI° adhuc sæculo conscriptis (1).

Qui autem formulas et instrumenta scribebant, principum constitutionibus et prudentium operibus omnino fere omissis, Breviarii interpretationem potissimum adiisse, multa ex interpretatione formularum procemia petita demonstrant (2), velut libelli repudii initium ab interpretatione edicti Constantini ortum quo prohibetur ne libellus mittatur præter certa crimina edicto ipso definita (3). Inter traditiones vero, aliæ ab edicti ejusdem imperatoris de solemnitatibus donationum interpretatione exordium capiebant ita : *rerum omnium scripturarum traditio consequatur* (4), aliæ, nempe venditiones a legis Valentiniani et Theodosii de querela propter vilitatem pretii

(1) Visig., 13, 14, 32, 37; Turon., 14, 16, 17; cpr. : Marc., II, 7 = Roz., 248; Turon., 19, 21, 22, 24, 25, 29, 30. Formul. Turon. appendix, 2, 3, 4 (Zeumer, p. 163, s.). Marc., II, 19. Formul. extrav., I, 5, 6 (Zeumer, p. 536, s.), 10 (814-844, *prope Aurelianum*, p. 539), 18 (p. 545).

(2) *Librarii ipsi qui Breviarium transcribebant majorem interpretationi conservandæ operam dabant quam verbis constitutionum et sententiarum* (Hænel, p. LIX).

(3) Certis rebus et probatis causis inter maritum et uxorem repudiandi locus patet (Sirmond, 19 = Roz., 110). L. 1, C. Th., *De repud.*, III, 16 (Hænel, p. 94).

(4) Roz., 258. L. 1, C. Th., *De donat.*, VIII, 5 (Hænel, p. 156). 804. Cum in libris Theodosiani et Hermogeniani seu Papiani per quem lex continet, scriptum est, quod donatione traditio subsequatur (Beyer, *Urkundenbuch zur Geschichte des Mittelrheins*, 42). Savigny, *Geschichte des rœmischen Rechts im Mittelalter*, I, § 96, p. 314.

interpretatione (1). Denique, quum illis temporibus, qui instrumenta conscribebant necessarium sæpissime existimarent prius admonere quantum scriptura valeret ut rei factæ memoria posteris traderetur, ac jurgia minuerentur, et aliquando etiam assererent non aliter contractum posse consistere quam si in scripturam redigeretur, nonnulla hujus generis procœmia præbuit interpretatio. Rursus, quan do res postulare videbatur ut scripturam tantum ad probationem desiderari scriptor asseveraret, atque ad fidem rei gestæ faciendam litteras non plus quam testes valere, semper facilis ac dives variorum argumentorum interpretatio aliud exordium suppeditabat (2).

Imo, etiamsi legem ipsam romanam formularum auctor consuluisse videatur, in interpretatione constitit. Argumento erit hic epistolæ collectionis locus : *Secundum sententiam illam quæ data est ex corpore Theodosiani libri quinti,* quem ad edictum Constantini de liberis derelictis spectare diceres, falso quidem, formulæ verbis non ex ipso edicto, sed ex interpreta-

(1) Quum inter ementem et vendentem res fuerit definito pretio comparata, quamvis plus valeat quam ad præsens venditur, hoc tantummodo requirendum est, si nihil fraudis vel violentiæ egit ille qui comparasse probatur. Et si voluerit revocare, qui vendidit, nullatenus permittatur (L. 1, C. Th., *De contrah. empt.*, III, 1. Constantin., Hænel, p. 73).

863. Cum inter ementem et vendentem res fuerit definito pretio comparata, quamvis plus valeat, ille qui vendidit non habeat licentiam revocandi (*Beaulieu*, 112).

Cpr. : L. 7, C. Th., *De contrah. empt.*, III, 1, Gratian., Valentin., Theodos., (Hænel, p. 74).

Adde : Carta qualiter pater filium vel nepotem de rebus suis meliorare potest. Quicquid pater unumquemque de filiis vel nepotibus habere voluerit, hoc sibi secundum legis ordinem sine consortis repetitione defendat, nec præsumat aliquis contra voluntatem patris agere... (Sirmond, 21 = Roz., 166). L. 1, C. Th., *Famil. hercisc.*, II, 24. Constantin. (Hænel, p. 62).

Carta in puellam facta ab eo qui ipsam invitam traxerit. Viventibus patribus inter filiosfamilias sine voluntate eorum matrimonia non legitime copulantur, sed contracta non solvuntur (Sirmond., 16 = Lindenb., 83 = Roz., 241). Pauli *Sentent.*, II, 20, § 2 (Hænel, p. 368).

(2) Licet in contractibus empti et venditi quæ bona voluntate definiuntur, venditionis instrumenta superflue requirantur (Visig., 13). Marc., II, 19 = Lindenb., 128 = Roz., 268.

In contractibus emti et venditi, qui bona fide ineuntur, venditionis instrumenta superflue requiruntur (Pauli *Sententiæ*, II, 18, § 10, Hænel, p. 366).

tione perscriptis (1). Quid plura dicam! Adeo legis munus commentarius usurpare videtur ut, quum in formulis *auctoritatem romanam*, vel *legem romanam*, vel brevius *legem* prolatam reperimus, hanc legem nihil aliud esse nisi interpretationem pro comperto prope habeatur (2). Sic fiebat ut ii qui

(1) Si quis infantem a sanguine emerit [aut nutrierit], si nutritum dominus vel pater eum recipere voluerit, aut ejusdem meriti mancipium aut pretium nutritor quantum valuerit consequatur (Sirmond, 11 = Lindenb., 138 = Roz., 54).

Si quis infantem a sanguine quoquo modo legitime comparaverit vel nutriendum putaverit, obtinendi eius servitii habeat potestatem : ita ut, si quis post seriem annorum ad libertatem eum repetat vel servum defendat, eiusdem modi alium præstet aut pretium, quod potest valere, exsolvat (L. un., C. Th., *De his qui sanguin.*, V, 8, Hænel, p. 146).

Si quis infantem a sanguine emerit et nutrierit, habendi eum et possidendi liberam habeat potestatem. Sane si nutritum dominus vel pater recipere voluerit aut ejusdem meriti mancipium nutritori dabit, aut pretium nutritor, quantum valuerit, qui nutritus est, consequatur.

(Interpretatio.)

(2) Lex Romana constringit ut qui tutores noluerint esse parvolorum, si forte cesserit luctuosa hereditas, ex ipsius habeantur extranei (Sirmond., 24 = Lindenb., 74 = Roz., 119).

Junge :

Lex Romana pro utilitate humani generis exposcit, ut, si quando cuiuscumque iniusta appellatio comprobatur, sumptus, quos post appellationis adversarium suum accusator contulit sustinere, non in simplum ei, sed in quadruplum ei reformare cogetur (*Formulæ extravagantes*, I, 4, Zeumer, p. 536, l. 12).

Nam si tutor forte petitus non fuerit, secundum ea, quæ priscis legibus statuta sunt, emolumentum successionis amittant, ad quos poterat hereditas pervenire (L. 1, C. Th., *Qui petant*, III, 18, Contantii et Juliani, Hænel, p. 98).

Omnimodo ponendum est, ut, quoties iniusta appellatio pronuntiatur, sumtus, quos, dum sequeretur adversarius, impendit, reddere cogatur, non simplos, sed quadruplos (Pauli *Sententiæ*, V, 39, *De meritis appellationum*, Hænel, p. 444).

Quod si nepotibus parvulis tutores providere despexerint, iubet eos huiusmodi dispendio subiacere, ut, si forte cesserit luctuosa hereditas, de successione minorum, quibus tutores aut non petierint aut noluerint providere, habeantur extranei.

(Interpretatio).

Si quando cuiuscumque appellatio iniusta pronuntiatur, sumtus, quos, dum sequeretur, adversarium suum compulit sustinere, non in simplum, sed in quadruplum ei reformare cogetur.

(Interpretatio).

Cpr. Mandatum qualiter maritus negotium uxoris prosequatur (Sirmond.,

formulas exprimebant, posthabita lege romana, solam interpretationem anquirere solerent, unde aliquid gravissimum consecutum est, nam si jus romanum, quale in formulis inest, a lege romana omnino abhorret, non alia ratio sæpe occurrit quam hæc scriptorum consuetudo. Nonnunquam enim prudentes, sive juris ignoratione lapsi, sive priscas leges ad præsentis ætatis usum accommodare nixi, legem perperam interpretati fuerant. Ut exemplo utamur, quum lex quædam Imperatorum Arcadii et Honorii præcepisset ut *si quis veniret adversus pactum quod ipse, major XXe annis confecisset, notatus infamia, actione privatus, pœnam incurreret quæ fuisset inserta pacto,* nec cæterum quærendum esset utrum scriptura intercessisset annon, interpretatio autem imperatorum legi hunc modum statuisset : *si scriptura intervenerit*(1), formularum auctores, utpote qui pactum sine scriptura vel irritum esse, vel saltem plenissima firmitate destitutum crederent, aliisque vellent persuadere, hac lege auctoritatem suæ opinioni afferre sibi proposuerunt. Est enim *in pacto inter parentes* scriptum : *Inter propinquos decet ut quicquid de rebus eorum inter se diviserint, scripturarum serie alligentur, romanamque legem ordinantem ut quicumque in ætate perfecta pactionem vel diffinitionem per scripturam fecerit, et hoc quod fecit implere neglexerit, aut contra eam ire præsumpserit, infames vocetur et ipsam causam agere non permittatur atque pœnam statutam cogatur exsolvere*(2).

III. *Codices recentiores.*

Reliqui sunt codices ætate inferiores quam Breviarium. Ac primum hujus ætatis formularum quidam subtilis investigator nonnullos Turonensium formularum locos ex epitoma Ægidii depromptos fuisse asserit(3), quod etiam de formulis Marculfi

20 = Lindenb., 180 = Roz., 385, 386). L. 4, C. Th., *De cognit. et procur.*, II, 12. Theod., Arcad., Honor. (Hænel, p. 48).

(1) L. un., pr., C. Th., *De pactis*, II, 9 (Hænel, p. 44).

(2) Sirmond., 25 = Lindenb., 68 = Roz., 122.

(3) Brunner, *Deutsche Rechtsgeschichte*, I, p. 361. Zeumer, *Præfat. ad formulas Turonenses*, p. 130.

dicendum mihi videtur (1), nec epitomam Guelpherbytani formularum Visigothicarum auctori ignotam fuisse suspicor, licet is Breviarium ipsum replicare soleret (2). Legem autem Burgundionum legemque romanam Curiensem omnino non nihil habuisse momenti Falcidiæ historia ostendit (3).

Legitimam partem ex bonis defuncti liberis et parentibus propter votum naturæ hodie deberi, ita ut illos nobis minime liceat a tota hereditate repellere, nemo nescit. Imo contra, veteres Romani nullam quidem bonorum portionem heredibus ab intestato addixerant; curaverant autem ne testatores scriptos heredes legatis immoderate onerarent. Etenim, quum universum patrimonium legatis testatores nonnunquam erogarent, adeo ut nihil heredi relinqueretur, præter onus et molestiam æris alieni, accidebat ut suprema morientium judicia destituerentur, recusantibus scriptis heredibus nullo aut minimo lucro hereditatem adire. At, quia Romani maxime verebantur ne intestati morerentur (quod e consuetis procœmiis testamentorum patet), atque etiam publice interesse existimabatur supremas hominum voluntates conservari (4), condita lege Falcidia (U. C. DCCXIV) cautum fuit ne minus quam quartam partem bonorum heres scriptus caperet. Postea, ad exemplar Falcidiæ, quarta legitima constituta est, quæ e successione defuncti, liberis, parentibus et fratribus deberetur.

(1) Si quis vero... me male vindedisse convincerit..., tunc inferamus vobis... dupla pecuniam quantum a vobis accipi (Marc., II, 19 = Roz., 268).

Si quis rem alienam (male *addidit Epit. Ægid.*), vendiderit et pretium acceperit, ad redhibitionem duplæ pecuniæ manebit obnoxius (L. Rom. Vis., Pauli *Sententiæ*, II, 17, 1. Interpr.).

(2) *Quod ex his locis inter se collatis colligitur :* Homo liber, qui statum suum in potestate habet, et peiorare eum et meliorem facere potest, atque ideo operas suas diurnas nocturnasque locat. (Pauli *Sententiæ*, II, 19, § 1, Hænel, p. 366). Interpretatione non eget. *Quæ sententia totidem verbis exstat in epitoma Monachi, mutila vero in aliis epitomis. Epit. Ægidii :* homo liber statum suum et peiorare et meliorem facere potest. *Quod in quadam carta Cluniacensi refertur* (I, 30, 887). *Epit. Guelpherbytani :* homo liber statum suum in potestate et meliorandi et deteriorandi. *Cf. formulam Visigothicam*, 32 : utrum meliorandi an deteriorandi liberam habeat potestatem.

(3) Zeumer, *Ueber Lex romana Curiensis* (*Zeitschrift Savigny*, IX, german. Abtheil., p. 21, s.).

(4) L. 5, D., *Testam. quemadmod. aper.*, XXIX, 3.

Everso autem Imperio, prævalentibus moribus Germanorum apud quos « heredes successoresque sui cuique liberi et nullum testamentum » (1), quum ipsi Romani testamenti usum omitterent, nec jam heredes scriberentur, Falcidia exoletura erat. Unde accidit ut apud Burgundiones et Rhætos, quos Germaniæ proximos Barbarorum mores brevi tempore imbuerant, Falcidia mox tolleretur. Quamobrem hoc inter Breviarium et leges romanam Burgundionum et Curiensem interfuisse animadvertimus, quod prius de Falcidia necnon et de legitima singillatim caverat (2), posteriores vero Falcidiam et legitimam ita permiscuerunt ut una quidem quarta, legitima scilicet, permanserit, Falcidiæ autem nomine appellata (3). Ad summam, erepta Falcidia suum nomen legitimæ tradidit.

Cur autem adeo in Falcidia erraretur, ut ejus nomen præstaretur legitimæ, nullam aliam rationem afferendam arbitror, nisi quod inter ambas quartas fuerat proxima cognatio. Jam enim, vergente Imperio, legitima aliquando nomine Falcidiæ appellata (4), hoc nomen retinuerat documentum qua

(1) Tacitus, *Germania*, 20.

(2) *Verbi gratia, de quarta legitima :* L. 1, C. Th., *De donationibus*, VIII, 5, interpret. (Hænel, p. 156); *de quarta falcidia :* Gaii *Institutiones*, II, 6; *De lege falcidia* (Hænel, p. 330).

(3) *Quomodo juris romani sententias quæ ad falcidiam pertinebant haud secus intellexerint ac si de legitima fuerint prolatæ, ac falcidiæ nomen sententiis intexuerint quæ ad legitimam antea respiciebant, indicio erit hic Breviarii locus in quo de legitima agitur :*

Breviarium.	*Lex Curiensis.*
Omnes donationes superius comprehensæ... si quartam sibi facultatis suæ donator non reservaverit, non valebunt (L. 1, C. Th., *De donat.*, VIII, 5, Hænel, p. 156).	Omnes donationes superius nominatas..., si Falcidia, hoc est quarta parte, donatur non reservaverit..., firmas non sunt.

Lex romana Burgundionum : X, *De successionibus diversis*, 3. Quarta vero, id est Falcidia, ad agnatos defuncti ejusque filio, nepoti ac pronepoti per virilem sexum descendentibus deferatur. XXXI, *De præscriptione temporum*, 2. De inofficiosis testamentis et inmodicis donationibus, hoc est, ubi Falcidiæ filiis non servantur, intra quinquennium debere et proponi et peragi. XLV, *De testamentis*, 5. Testamenta vero quibus filiis aut nepotibus Falcidia non demittitur nullo jure subsistunt. 6. Frater vero de inofficioso testamento fratris agere non potest. 7. Item filius vel filia sine filiis morientes matrem sine Falcidia præterire non possunt ut valeat testamentum. *Cæterum de his legibus v.* Zeumer, *Ueber Lex Curiensis*, p. 21, s., 26.

(4) Falcidia ex his etiam rebus filiabus tantum, non etiam filiis deputata

origine nata esset. Quum vero rescriptis Severorum et legitima ad quamlibet donationem (1) et Falcidia ad mortis causa donationem (2) essent productæ, effectum est ut, legis Burgundionum legisque Curiensis auctores, quippe qui duas tam similes quartas (unam, nempe Falcidiam, nunc ab usu intermissam, jamque ignotam) in Breviario invenirent, unam eamdemque quartam esse putarent, videlicet legitimam, quæ interdum proprio nomine, interdum Falcidiæ appellatione nuncuparetur; atque illos qui instrumenta scribebant in errorem eumdem ducerent quo ipsi inciderant: Dum enim qui formulas Andecavenses et Turonenses conceperant, Breviarii scriptorum instar, caverant ne legitimam Falcidiæ nomine vocarent (3), in Burgundicis instrumentis Falcidiæ appellatione legitima significabatur. Quamobrem Wideradus, Flaviniacensis abbas, quum eam chartam

videatur (L. 3, § 5, C., *Ad leg. Jul. majest.*, IX, 8, Arcad. et Honor., 397). Quæ nuper ad testamenta conservanda, nec facile retractanda sancivimus, ut ratione Falcidiæ minime illis personis derelictæ, quæ ad inofficiosi testamenti querelam ex prioribus vocabantur legibus, non periclitentur testamenta, sed quod deest legitimæ portioni, id est, quartæ parti scilicet ab intestato successionis, tantum repleatur (L. 31, C., *De inoff. testam.*, III, 28, Justiniani, 528). Zeumer, p. 24.

(1) L. 87, § 3, D., *De leg.*, 2°, XXXI.

(2) L. 5, C., *Ad leg. Falc.*, VI, 50, 224. L. 12, *eod. tit.*, Dioclet. et Maxim., *falcidiam in donationibus inter virum et uxorem admittit.*

(3) Incipit ius Liberorum, *id est donatio mutua inter virum et uxorem. Nam quum, secundum legem Papiam Poppæam, vir et uxor inter se solidum capere non possent, nisi filium filiamve communem haberent, vel jus liberorum ab imperatore impetravissent* (Ulpiani *Regulæ*, XVI, § 1), *Theodosius II ita cavit :* nemo posthac a nobis jus liberorum petat : quod simul hac lege omnibus concedimus (L. 1, C., *De jure liber.*, VIII, 59), *inde nomen* jus liberorum *alternæ inter virum et uxorem donationi inditum* (Isidori *Origines*, V, 24, Visig., 24). *Sed pergamus :* Iddeo ego memoratus illi, si tu mihi dulcissima conjux mea illa superstitis fueris... tunc tu tris porcionis de omne corpore facultatis mee... si prulis inter nus non fueret procriati, tibi transcribo... Illa quarta viro porcionem reservaverunt, heccontra vos propinquorum heredibus legitimus meis reservo; ut tu coniux mea illa, illas tris porcionis, et ipsi heredis mei illa quarta, similiter debetis percipere et possedere. Similiter ego illa... si tu mihi, dulcissemus iocalus meus illi, superstitus fueres... Licit dum in tale epistola, ut legem fuit decreata, inter nus conscripsimus et quarta reservavimus non est necessi adnecte inserrere (Andegav., 40 = Roz., 247). Sirmond., 17 = Roz., 245. Donatio inter virum et uxorem... quartam vero legitimis heredibus meis reservo (Turon., 17 = Roz., 245). Cpr. : Zeumer, *Ueber lex Curiensis*, p. 26.

dictaret, quam testamentum suum ipse vocabat, non proprie quidem, quoniam heredis institutio, illud testamenti fundamentum, aberat, Falcidiam heredibus suis, legitimis scilicet, reservabat (1). Nec alia ratione patritius Abbo eodem testamento quo Novalicia ecclesia in valle Segusina heres scribebatur, Falcidiam deductam Honoratæ, consobrinæ, Eptolenæ suæ amitæ filiæ, dimittebat (2). Item, x° sæculo, mulier quædam, simul ac res quasdam in pago Viennensi marito suo donabat, propriis filiis Falcidiam adscribebat (3), quo jure Rhætiam XII° sæculo fuisse usam vir eruditissimus nuper demonstravit (4). Duarum igitur quartarum, Falcidiæ scilicet et legitimæ, ortum a fonte repetere oportebat, ut, collatis inter sese illa vetere lege Falcidia et hac nova et inusitata Falcidia quæ sæcula post duodecim vigebat, intelligi posset cur res tam diversæ eodem nomine appellatæ fuerint.

Sed quid multa? Nam quum, nostrarum formularum observatione sola duce, investigarem quid de jure antejustinianeo

(1) Præter ista omnia reservamus in falcidia heredibus nostris villas illas, in pago illo, in ea racione ut facta mea in omnibus studeant conservare adque defendere (Collectio Flaviniacensis, 8. Zeumer, p. 477).

(2) 739. Tu sacrosancta ecclesia in honore beati Petri apostoli... Novaliciis monasterii in valle Sigusina..., heres mihi es tu, heredem meam te esse volo ac jubeo. Et placuit mihi in hanc pagina testamentis mei adnecte de alode parentorum meorum, aviis meis Maurino et Dodine, quem apud consubrina mea, Honorata filia Eptolene, amite mei, pro pectionis titulum inter nos divisimus, noscitur, convenisset ut ipsa omnem portionem suam de ipsa facultate presentaliter recipit, et de proprietate nostre quod pro falcidia se nos ipsa *vel heredis sui superstites fuerint,* estare aut per lege recipere potuissent eis presentaliter, de proprietatis portione nostræ loca dominata quem in pactionis nostræ continetur et scripte in *falcidia* reputata dimissimus, ut nullumquam tempore in postmodo ipsa nec heredes sui contra hanc testamento meo nec projesta nostra ambulare nec refragare debeant. Quod si fecerint, pena quod in pectionis nostræ per commune consensum continet incurrant, et quod repitent evendicare non valeant (*Saint-Hugues de Grenoble,* A. 22, p. 35, 42, s.).

(3) 949. Ea vero racione... dum modo nos pariter vivimus, usum et fructum pariter possideamus, nisi quarta falcidia reservo, set qualisquisque alium superstite vel diu vixerit, ad eum perveniat, et post amborum nostrorum quoque discessum, ad proprios filios nostros (*Cluny,* I, 740).

(4) Zeumer, p. 27, s. — *Junge :* Dom Vaissette, II, 4 (680) = Pardessus, II, 393 (Faldidio). *Cluny,* I, 23 (880), 56 (895), 99 (908), *charta qua Arhintrudis femina cedit Sisfredo genero et Ragemburgi filiæ quasdam res in pago Lugdunensi, quartam vero* faciliam *reservat.*

in usu eorum temporum factum fuisset, plane eo pervenisse arbitror quo alii deducebantur, dum ejusdem ætatis leges et jurisprudentiam odorabantur. Breviarium enim, haud secus atque quasi fons legum et scientiæ juris ab illis vindicabatur, usus sola prope norma fuisse mihi visum est.

2° Num formularum auctores Justinianeis libris usi fuisse videantur (1).

Neminem in Imperio Francorum illis temporibus fuisse opinor qui Justinianeis libris usus fuerit (exceptis Italicis notariis quos *completionis* clausulam, lato Justiniani edicto, adhibuisse comperimus (2)).

Etenim si formulas et instrumenta secundum legem romanam recensemus, omnia quæ Justinianus in legibus emendavit penitus ignota videmus. Nam primum, cum apud veteres Romanos, inter servos qui manumittebantur, alii cives Romani fierent, alii, servi scilicet quibus stigmata fuerant inscripta, ejusdem conditionis liberi fierent cujus erant *peregrini dedititii*, ii erant qui, adversus Romam armis susceptis, ut victi fuerant, se dediderant, alii *Latini Juniani* vocati eodem jure essent quo *Latini coloniarii* (3), Justinianus, Latinorum et dedititiorum conditione sublata, omnes libertos civitate romana

(1) *De jure Justinianeo in Gallia*, v. Helfferich, *Enstehung und Geschichte des Westgothen-Rechts*, p. 60, s. Eichhorn, *Deutsche Staats und Rechtsgeschichte*, I, § 157. Zeumer, p. 208, n. 1, et *Præfat. ad formulas Visigothicas*, p. 574. Viollet, *Précis de l'histoire du droit français*, p. 17. Max Conrat, *Geschichte der Quellen und Literatur des rœmischen Rechts im früheren Mittelalter*, I, 1889, p. 33, s. Flach, *Études critiques sur l'histoire du droit romain au moyen-âge*, p. 189.

(2) *Junge hoc consuetum italicarum commutationum exordium a Diocletiani quadam constitutione haustum quæ tantum Justiniani codice continetur.*

Permutationem... bonæ fidei constitutam... vicem emptionis obtinere non est juris incogniti (L. 2, C., *De rer. permut.*, IV, 64, Dioclet.).

886. Comutacio bone fidei et noscitur esse contractum et uice emcionis obtinet ad firmitatem eodemque obnexu obligo contraentes, placuit itaque... (*Hist. patr. mon.*, I, 42). Cpr. 533 (1165).

(3) Gaius, I, §§ 12-14, 22.

donavit (1). Nostrarum vero formularum scriptores, Gaii auctoritate freti, tria genera libertinorum, nempe civium Romanorum, Latinorum et deditiitiorum (2) in *epistolis ingenuitatis* commemorare consueverant, manumissore etiam jubente ut servus *meliorem statum haberet* (id est civis romanus fieret), *posset pergere quo vellet* (quod deditiitiis haud permittebatur), *ex testamento succedere et condere testamentum* (quæ jura Latinis negabantur) (3).

Multæ etiam veteris juris Quiritium argutiæ et solemnitates quas Justinianus sustulerat, in formulis tamen memorabantur. Sit primum documento, inter formulas Visigothicas, ea quæ *cartula mancipationis* dicta, ad filiifamilias emancipationem pertinet. Olim, quum lex XII Tabularum de patria potestate solvenda his verbis caveret : *si pater filium ter venumdabit, filius a patre liber esto*, Romani, utpote ad juris fictiones adhibendas callidi, tribus mancipationibus interpositis, filios patria potestate solebant liberare (4). Justinianus vero, an-

(1) C., *De deditiitia libertate tollenda*, VII, 5. *De latina libertate tollenda*, VII, 6.

(2) Quicquid persona aut religiosi de eorum mancipia data libertate conferre voluerit, secundum legem romanam hoc facere potest, id est *latina dolitia et cives romana* (Baluz. min., 5 = Roz., 64).

(3) Ego ille in ipsos servos meos... *meliorem libertatem* in ipsos... adfirmare vellio, quia civis romanus ipsos eos esse præcipio, et secundum legum auctoritatis *testamentum condere ex testamentum sub quibuscumque personis succidere valeant*, ut civis romani porte aperte vivant ingenui (Roz., 62 = Thévenin, 27). Meliore statum habeat, testamentum condere ... sicut et alii cives romani (Roz., 64).

Libertorum vero ideo non unus est quia tria sunt genera libertatum : quia liberti *aut cives Romani sunt, aut Latini, aut deditiicii*... (*Lex romana Wisigothorum*, Gaii *Institutionum*, I, pr. Hænel, p. 314).

Sed inter hæc tria genera libertorum ideo cives Romani *meliorem statum* habent, quia et *testamenta facere et ex testamento quibuscumque personis succedere possunt;* nam Latini et deditiicii nec testamenta condere, nec sibi ex testamento aliorum aliquid dimissum possunt ullatenus vindicare (Gaii, *Institut.*, I, § 4, Hænel, p. 36).

Forte ad legem Fufiam Caniniam quæ, quum caveret ut libertates servis testamento nominatim darentur (Ulpiani *Regulæ*, I, § 25), *a Justiniano fuit abrogata* (C., *De lege Fufia Caninia tollenda*, VII, 3), *hæc verba testamenti a.* 700 *conditi respiciunt :* Libertorum meorum *nomena* in his testamento abnecti constituo... Hos omnes... liberos liberasque esse præcipio (Pardessus, II, 452). Cpr. : Pardessus, I, 230 (615).

(4) Gaius, I, § 132.

tiquo ritu abolito, apud competentem judicem, sola patris professione liberos manumitti jussit. Apud Visigothos autem, secundum antiquam legis observationem, oblato patri *nummo distractionis atque mancipationis ante quinque* legitimos mancipationum testes, filius sui juris efficiebatur (1).

Nihilominus in adoptionum formulis jus antiquum Quiritium vigebat. Cum enim adoptione patris naturalis potestas quondam exstingueretur, et is qui in adoptionem dabatur in patris adoptivi potestatem transiret, atque Justinianus ita jus emendavisset ut patris naturalis potestas minime dissolveretur (2), ea tamen lege, Barbarorum ætate, adoptio fiebat ut filius *a potestate patris naturalis decederet et in potestatem veniret ejus qui adoptaret* (3).

Ut alio exemplo utar, testamenta Merovingorum ætate condita ab heredis institutione incipere supra dixi, profecto quia per heredis institutionem testamentum vires capere adeo antiquitati placuerat ut inutiliter vel legaretur, vel libertates darentur antequam heres scriberetur (4). Justinianum vero cavisse ut totus ordo scripturæ ex arbitrio testatoris penderet, atque nihil interesset utrum testator ab institutione an a legatis vel a manumissionibus initium sumeret (5), notarios illius ætatis omnino præteriisse videtur. Quinimo, quamvis imperatores Justinus et Justinianus sanxissent ut donationes quæ ante nuptias efficerentur possent etiam post nuptias

(1) Inspeximus in emancipationibus vanam observationem custodiri, et venditiones in liberas personas figuratas, et circumductiones inextricabiles et injuriosa rhapismata (L. 6, C., *De emancip. liber.*, VIII, 49). Prisca consuetudo et legum decreta sanxerunt, ut patres filios in potestate habentes tempore quo perfectos in eos esse præspexerint annos, postulata a patribus absolutione, percipiant, quod tamen patres ipsi, si voluerint, concedant... Oblatos autem a te quinque nummus distractionis atque mancipationis causa me suscepisse agnosco (Vis., 34 = Zeumer, p. 590). Roz., ante quinque *legit, recte quidem, nam mancipationem, quinque testibus adhibitis, uno nummo accepto fieri vidimus.*

(2) L. 10, C., *De adoptionibus*, VIII, 48, *scilicet quum filius extraneæ personæ in adoptionem daretur.*

(3) Epistola qualiter extraneo homine quis in locum filii adoptetur... Mihi placuit ut ille... de potestate patris naturali discedente et in mea potestate veniente in loco filiorum adoptassem (Sirmond., 23 = Roz., 115).

(4) Gaius, II, §§ 229, 230.

(5) L. 24, C., *De testam.*, VI, 23. *Inst.*, II, 20, § 34.

fieri, nec ideo jam *ante nuptias* sed *propter nuptias* dicerentur, jus et nomen antiqua in formulis et instrumentis pollebant (1). Denique quamvis etiam Justinianus constituisset ut eæ donationes valerent, licet actis publicis non mandatæ, quæ D solidos non superarent, vel quæ fierent propter nuptias (2), semel tamen ac sæpius illa Constantii lex observabatur, qua cautum erat ut quælibet donatio in publicos codices mitteretur (3).

Hinc perspicuum est quantopere abesset ut Justinianeum jus nostri scriptores scirent. Attamen non me fugit nonnullas merovingici et karolini ævi chartas reperiri quæ aliquam Justiniani legum scientiam exhibere primum videantur.

Speciosissimum quidem argumentum ex eo posset depromi quod formulæ secundum legem romanam adoptionem coram curia publica, charta gestis municipalibus alligata, factam fuisse testantur (4). Romæ vero iisdem fere modis filii dabantur in adoptionem quibus emancipabantur, videlicet secundum jus antiquum, intercedentibus mancipationibus (5), deinde, postquam Justinianus jus illud emendavit, professione apud competentem judicem edita, actis interpositis (6), id est haud secus atque adhibita coram curia gestis municipalibus alligatione.

Hoc autem argumentum primum laborat quod in Breviarii interpretatione e scriptis majorum natu quam Justinianus jurisperitorum collecta (ut supra diximus), hic locus jam reperitur : *adoptivum, id est gestis ante curiam affiliatum* (7). Cete-

(1) Donatio in sponsam facta. Placuit ut aliquid... per hunc titulum libelli dotis ante dies nuptiarum tibi confirmare deberem... (Sirmond., 14 = Lindenb., 78 = Roz., 220, 221). 947. Libellum dotis ad implendum, ante nubcias dari fieri potest rerum corporali tradiccione subsecutum (*Cluny*, I, 705). 976. Tibi dono et doto ante diem nubtialem (II, 1426).

(2) *Inst.*, II, 7, *De donat.*, § 2. L. 31, pr., C., *De jure dot.*, V, 12.

(3) Andegav. 40 = Roz., 247. Append. ad Andegav. = Roz., 262.

(4) Mihi placuit ut illum una cum consensu patris sui in civitate illa cum curia publica in loco filiorum adoptassem. Hæc adoptio gestis alligata firma permaneat (Sirmond., 23 = Roz., 115). Lindenb., 59 = Roz., 116.

(5) Gaius, I, § 134.

(6) Sine vetere observatione emancipationum et manumissionum hoc ipsum actis intervenientibus apud competentem judicem manifestare, præsente eo, qui adoptatur, et non contradicente, necnon eo, qui eum adoptat (L. 11, C., *De adopt.*, VIII, 48).

(7) Ad leg. 2, C. Th., *De legitim. hered.*, V, 1. Epit. Monachi. Gestis ante curiam affiliatum (Hænel, p. 136, 137). *Lex ipsa de adoptandi modo silet.*

rum nullo alio modo hæc verba *ante curiam adoptare* intelligenda sunt, nisi, juris antiqui mancipationibus ante curiam adhibitis, adoptare, quemadmodum illa epitomæ Gaii sententia : *emancipatio ante curiam facienda est,* his subjectis verbis explanabatur ita : *ubi quinque testes cives Romani in præsenti erunt, et... qui libripens appellatur* (1), quæ ad mancipationes manifesto pertinebant.

Deinde, quum manumissio *ingenuitas* illis temporibus appellaretur, dominique juberent libertum *et civem romanum*, et *ingenuum* fieri, *ac si de ingenuis parentibus esset procreatus* (2), dixit quispiam illud Justinianei juris ideo fuisse quia Justiniani novella jam cavisset his verbis : *si quis manumittens servum aut ancillam suam*, CIVES DENUNCIAVERIT ROMANOS (*neque enim aliter licet*), *sciat ex hac lege, quia qui libertatem acceperit habebit... et aureorum annulorum et regenerationis jus* (3), ita ut non jam beneficio principis, sed ipsa manumissione, libertus et ingenuus fieret, et suffragii et honorum jura acciperet, et juribus patronatus liberaretur.

Illi tamen sententiæ non assentior, quod ex novella id unum mihi constare videtur, nempe, quum servi ea lege ut *cives romani fierent*, manumitti jam antea solerent, a Justiniano cautum fuisse ut qui iisdem verbis posthac manumitterentur, ingenuitatis jus haberent. Id vero unum nostris *ingenuitatis* epistolis agebatur, ut libertus, quod ad patronatus jura pertineret, pro ingenuo haberetur, ita ut, verbi gratia, nec obsequia, nec operas patrono præstaret, quod ex hac formula Arvernensi potest colligi : *Et intromissus in ordinem civium romanorum ingenuis se esse cognoscant, ut post ac die* [*neque a me*] *neque ad ullus heredibus meis servitius nec letimonius ne*[*c*] *onus patronati nec nulla obedientia eis non requiratur* (4). Totum illum locum descriptum fuisse ex aliqua

(1) I, 6 (Hænel, p. 322). Lécrivain, *Annales du Midi*, 1889, p. 160.

(2) 690. Quos... per æpistolam ingenuetatis laxavi (Pardessus, II, 413). Ingenuitas in albis. Permaneat ingenuus quasi de bene ingenuus parentibus fuisset procreatus vel natus (Roz., 78). Bignon., 1 = Roz., 91.

(3) Novel. LXXVIII, 1. *De jure aureorum annulorum et restitutione natalium quam jus regenerationis Justinianus vocat :* Lemonnier, *Étude sur la condition privée des affranchis,* livre V, chap. 3.

(4) Baluz. min., 6 = Roz., 86.

formula vetustiore quam novella Justinianea est eo magis suspicor, quod, sub pristinis imperatoribus, quamvis jus honorum jusque suffragii a solo principe restituerentur, manumissor libertum *ingenuum* profiteri sine ulla dubitatione posset, hoc saltem consilio ut ipse jus patronatus abdicaret.

Gravissima denique dubitandi causa in præscriptione XXXª annorum inest. Haud enim est ignotum Theodosium IIum sanxisse ut quælibet actio, id est jus persequendi in judicio quod nobis deberetur, periret, nisi intra XXXª annos moveretur (1), ita ut, verbi gratia, dominus, si rem vindicaret, prætermissis XXXª annis postquam possessionem amisisset, præscriptione excluderetur. Hujus autem præscriptionis usum in Imperio Francorum frequentem fuisse formulæ et instrumenta declarant. Sæpe enim possessores a quibus veri domini usurpatos fundos petebant præscriptione XXXª annorum usos fuisse animadvertimus, qualis, IXº sæculo jam vergente, ille Walcaudus qui, quum a Widone monasterii Sancti Laurentii advocato, coram comite et scabinis civitatis Matisconis, mallaretur, respondebat : *quod per se et suos donatores per triginta annos et amplius legibus vestiti fuerunt absque ulla partione Sancti Laurentii vel suos rectores* (2).

Hæc scilicet secundum jus antejustinianeum fiebant. Justinianus autem eum qui rem alienam per XXXª annorum possedisset adeo tutum esse voluerat ut non solum dominum rem vindicantem, opposita præscriptione, posset excludere, sed etiam, si ipse vel a domino, vel ab extranea persona ejectus

(1) Quæ ergo antea non motæ sunt actiones, XXXª annorum jugi silentio, ex quo competere jura cœperunt, vivendi ulterius non habeant facultatem... Hæ autem actiones annis XXXª continuis extinguantur (L. 3, C., *De præscript. XXXa annorum*, VII, 39). L. un., C. Th., *De actionibus certo tempore finiendis*, IV, 12 (Hænel, p. 120). L. un., Novel. Valentiniani III, *De XXX an. præscr. omnib. causis opponenda*, III, 8 (Hænel, p. 284).

(2) *Saint-Vincent de Mâcon*, 284 (888-898). Sirmond., 40 = Roz., 484. Dom Vaissette, II, 169 (868) = Thévenin, 101. *Cluny*, I, 251 (925) = Thévenin, 125. *Præceptum Ludovici Pii pro abbatia Anianensi an.* 835 *datum*, ut si mancipia fugitiva secundum legem Romanam se tricennio defenderint, advocati autem idonea testimonia adversus eos dederint, de iis secundum legis Romanæ sanctionem decernatur (Sickel, *Urkunden der Karoliner*, I, 331, p. 186). *Cf.* in append. ad Marculf., 33 = Roz., 485, *præscriptionem XXXI annorum*.

possidere desineret, rem vindicare (1). Eo autem jure usi fuisse videntur *missi* et *judices*, quos, quum ad altercationes audiendas in mallo publico, in Narbona civitate, anno DCCCLXII, sederent, Richimirus, monasterii Sancti Johannis procurator, adibat, ut prædia a quodam Savigildo abhinc duobus annis occupatos restitui juberent (2).

Ex his num possit inferri jus Justinianeum in Narbonensi, IX° jam sæculo adhibitum fuisse, dubito, sive quod eadem actio quam Justiniani edictum in Orientis Imperio constituerat, usu et consuetudine in Imperio Francorum forte condita fuit, sive quod actionem ex veteribus legibus interpretatione depromptam, Justinianus, quum lata lege comprobavit, haud secus forte locutus est ac si ipse actionem constituisset (3). Sed ne quis me arguat ex nimia subtilitate in juris ambiguitatibus morari, hocce novissimo argumento hanc disputationem claudere me juvat, cæterum jus Justinianeum nostris formulis alienum fuisse, mea saltem sententia, satis est manifestum.

(1) Si quis emptionis, vel donationis, vel alterius cujuscunque contractus titulo rem aliquam bona fide per decem, vel viginti annos possederit, et longi temporis exceptionem contra dominos ejus... sibi adquisierit, posteaque fortuito casu possessionem ejus rei perdiderit : posse cum actionem ad vindicandam rem eandem habere sancimus, etenim et veteres leges (si quis ea recte inspexerit) sanciebant. Quod si quis eam rem desierit possidere, cujus dominus exceptione triginta.,. annorum expulsus est..., si quidem bona fide ab initio eam rem tenuerit, simili possit uti præsidio (L. 8, C., *De præscr. XXX annor.*, VII, 39), Esmein, *Sur l'histoire de l'usucapion* (*Mélanges d'histoire du droit et de critique*, p. 217). Glasson, *Histoire du droit et des institutions de la France*, III, 1889, p. 140.

(2) Et abuerunt hoc per os XXX annos (Dom Vaissette, II, 161 = Thévenin, 94).

(3) *Sic rei vindicatio qua is experiri poterat qui per X vel XX annos possederat, antiquarum legum interpretatione jamdudum introducta fuerat, antequam Justiniani edicto fuisset constituta.* L. 28, D., *De noxal. act.*, IX, 4.

CAPUT III.

QUÆ LEGIS ROMANÆ NOTIO TEMPORIBUS ILLIS HABERETUR EX FORMULIS DEPROMENDUM EST.

Vix credas, quo tempore res romana, impugnantibus Barbaris, corruit, dum Imperii ruinæ ingentes, pristinæ gloriæ memoria, institutorum præstantia oculis vel mentibus objiciebantur, hostes admiratione adeo commotos fuisse ut etiam inviti (1) nominis romani majestatem et vererentur et faterentur. Quanta autem romanæ legis reverentia animis inhæreret is facile existimat qui eam legem, everso Imperio, per multa sæcula, quasi summam legem, vocem ipsam Dei (2) et ideo justi et injusti regulam observatam fuisse animadvertit. Illa enim juris principia quibus omnes populi utuntur, quæ ideo communi juris gentium nomine Romani appellabant, velut insita in lege romana et quasi ea lege tradita colebantur (3). Hinc domini in re sua potestatem descendere dicebatur, *quisque*

(1) *Sint exemplo Athanaricus et Ataulfus.* Theodosius... Atanaricum... regem... ad se ... in Constantinopolim accedere inuitauit. Qui... regiam vrbem ingressus est, miransque : « En, inquit, cerno quod saepe incredulus audiebam famam videlicet tantae vrbis... Deus ... sine dubio terrenus est Imperator, et quisquis aduersus eum manum mouerit, ipse sui sanguinis reus existit. » In tali ergo admiratione ... ab hac luce migrauit (*Iordanis De origine actibusque Getarum,* edidit Holder, 1882, 28, p. 33).

(2) Et Spiritus sanctus per sagrorum imperatorem sensit auctoritas, et non inceste vel inlicitæ ad procreandum humani generis coniunctio fiat (Bituric., 15 = Roz., 221). Zeumer, p. 174, n. 7, *hæc verba spectare videntur ad constitutiones imperatorum quæ in* C. Th., III, 12, *De incestis nuptiis* (Hænel, p. 88, s.), *exstant.*

(3) Juxta legem Romanam, que omnium est generalis (*M. G., L. L.*, IV, p. 291). *Hæc formula maxime celebrabatur* (Flach, *Études critiques sur l'histoire du droit romain au moyen âge,* p. 100, n. 3). *Beaulieu,* 53 (940).

enim, ut aiebant, ex *lege romana* (1), ex *legibus piissimorum imperatorum* (2) *et consulum* (3) vel ex *autoritate Imperatoris Constantini* (4) *de rebus suis facere quodcumque voluerit liberam potestatem accepit*, hinc judiciariam potestatem proficisci, ut hoc notitiæ judicii procemium testatur : *lege Romanorum decretum est in orbe terrarum, ut principes seculares, legalia precepta servantes, judiciaria potestate falsa destruerent, et recta perquirerent* (5).

Quum igitur nihil lege romana gravius, nihil augustius esse scriptores formularum arbitrarentur, eam in testimonium vocari consueverant, quo sententiis quas formularum initiis adscriberent major fides adhiberetur, nec si de ea re lex romana sileret, id obstabat quominus illius legis testimonio uterentur, quia tantum sibi arrogabant ut quas ipsi conflavissent sententias pro legis romanæ præceptis præberent. Ut res clarior fiat exemplo, alii erant qui legem romanam imperavisse scriberent ut *quicumque rem suam alienare vellet, pactum scriptura confirmaret*, aliorum eo temeritas procedebat ut certum legis caput ederent, ne dubitationi locus superesset. Sic enim in formula sponsalitii legimus : *sicut in Theodosiano Codice de sponsalibus et ante nuptias donationibus narrat auctoritas : ut quicumque vir in sponsam suam ante die nuptiarum de rebus suis propriis donare vel conferre voluerit, per serie scripturæ hoc allegare procuret.* De eo, ut vere loquamur neque in Breviario neque in interpretatione scriptum est (6).

(1) Lex romana exposcit ut unusquisque homo, dum in suum contenit arbitrium, de rebus suis propriis aliquid pro anime suæ compendium dare decreverit licenciam habiat (Andegav., 46 = Roz., 197).

(2) Circ. 960. Qualis autem vel quanta unicuique homini ex rebus suis concessa sit potestas in dando vel in vendendo seu in caucionem mittendo, sive liber sit sive servus, nullus ignorat qui leges piissimorum imperatorum planiter novit. Quapropter ego (*Cluny*, II, 1093). Cpr.: 1094 et *Saint-André-le-Bas*, Append. Chart. Viennens., 25 (961). *Hæc formula in pago Viennensi adhibebatur.*

(3) 874. Priscarum legum et imperatorum ac consulum decrevit auctoritas, ut qualiscumque persona nobilis ortus genere res suas in alieno jure transferre voluerit, tam in ecclesiis quam in aliis hominibus codicillos et legitimas traditiones licentiam habeat ad faciendum (Dom Vaissette, II, 186).

(4) *Beaulieu*, 161 (sæc. IX vel X).

(5) *Cluny*, I, 81.

(6) Formul. Turon. append., 2 (Zeumer, p. 163) = Roz., 219. C. Th., III, 5 (Hænel, p. 76, s.).

Imo, etsi a lege romana discederent, magnum nomen legis romanæ afferre audebant, adulteratis legum verbis ut illam cum eo quod sentirent et proferrent consentire cogerent, velut ille qui, quum pactum aliquod scriptura conficiendum esse demonstrare vellet, Pauli *Sententiarum* hanc interpretationem usurpabat : *Si manente conjugio vir uxori vel uxor marito aliquid donaverit, si is cui donatum est prior mortuus fuerit, apud donatorem ea quæ donata fuerant remanebunt* (1). De scriptura nihil dicebatur, sed scriptor interpretationi hæc verba præmisit : *Quicquid enim inter coniugatos de propria facultate ob amorem dilectionis invicem condonare placuerit, scripturarum necesse est titulis alligari, ne in posterum ab heredibus eorum posse convelli, quia secundum legem, si manente et rel.* (2).

Sic auctoritatis pondere præpotens ac maxime reverenda lex romana ea ætate videbatur. Vix equidem legum Barbarorum veluti legis Salicæ auctoritas afferebatur. Nunc autem explicabo quam qualemque fuisse ipsam legem romanam formularii crederent. Illa autem lex, quum non tam ex vetere jurisprudentia, id est e prudentium operibus et principum constitutionibus, quam ex usu diuturno jam depromeretur, multum a mero jure Quiritium videtur abhorruisse.

1° Quam formularum secundum legem romanam scriptores jurisprudentiæ essent imperiti.

Licet is qui formulas constituit potius leguleii quam jurisprudentis officio fungatur, oportet tamen ut juris civilis disciplina sit eruditus, ne legis præcepta nimia ignoratione perrumpat. Cæterum cur populi romani formulis nescio quid concinnæ in dicendo inesset brevitatis, ut nec supervacuum aliquid diceretur, nec aliquid omitteretur quod ad rem pertineret, cur earum formularum verba tanta cum industria eligerentur ut aptissimum quodque verbum adhiberetur, hæc una causa est quod formulæ ab ipsis prudentibus expressæ fuerunt. Barbarorum vero ætate, ex omnibus formulariis imperitissimi juris scientiæ negotia formabant, nedum jurispruden-

(1) Pauli *Sententiæ*, II, 24, § 5 (Hænel, p. 370).
(2) Sirmond., 17 = Roz., 245.

tes libellos proderent. Nemo enim illis temporibus vel Romanorum prudentium libros vel principum constitutiones percensebat, sed veteres quædam formulæ et legum interpretationes magis ac magis a perscriptoribus corruptæ, quædam brevissimæ epitomæ juris elementa, deterrima quidem, cuique præbebant. Non igitur mirum est, si vel summorum Romæ prudentium etiam nomina periere, nempe Papiniani, Pauli, Gaii, Ulpiani, Modestini, quorum sententiis et opinionibus præclarum Theodosii edictum auctoritatem afferebat (1), vel legum romanarum nomina silentio obruebantur, præter legis Falcidiæ, et legum Juliæ de maritandis ordinibus ac Papiæ Poppææ, quas Augustus tulerat, ut exhausta civilibus bellis Respublica nova sobole frequentaretur (2).

Formulas vero et legum epitomas iis temporibus sæpissime haud intellectas fuisse ex eo præcipue patet quod nec a mendis quidem purgatæ ad verbum imo ad litteram exscribebantur. Sic gignebantur barbara et inaudita vocabula, quæ, quamvis intellectu aliquando caruisse videantur, exactissima diligentia multis sæculis servabantur. Sint exemplo et vox *dolitia* in chartis ingenuitatis usitata, quam e verbo *dedititii* librariorum ignorantia corrupto oriundam esse vix putares (3), et verbum *Falsitia* pro *Falcidia* adhibitum, quod a lege Curiensi in Rhætica instrumenta IX° sæculo transsumptum, arguit quæ fuerint ejus legis ætas et patria (4). Hoc etiam adnotandum est quod qui formulas nostras constituebant legibus romanis perperam intellectis intempestive utebantur. Id autem hæc formularum exordia optime demonstrant quæ scriptores, in jactationem eruditionis, ab interpretatione Breviarii petebant. Jam enim retuli hunc libellum repudii qui ab interpretatione illius edicti Constantini incipit, ubi exponitur quibus de causis liceat repudiare, scilicet maritum, si aut homicida, aut maleficus, aut sepulchri violator, uxorem, si aut adultera, aut malefica, aut conciliatrix sit. Re autem vera, hic repudii libellus trade-

(1) L. 1, 3, C. Th., *De respons. prudent.*, I, 4, 426.

(2) Tacitus, *Annales*, III, 25. J. Gothofredus, *Lex Julia et Papia Poppea*. (*Thesaurus juris romani* Everardi Ottonis, III, Basileæ, 1744, p. 206).

(3) Baluz., min., 5 = Roz., 64. Zœpfl, *Alterthümer des deutschen Reichs und Rechts*, II, p. 361.

(4) Zeumer, *Zeitschrift Savigny*, Germ. Abtheil., IX, p. 23.

batur quando matrimonium utriusque consensu, quod Romani dixere *bona gratia*, dissolvebatur (1).

Genera vero diversa formularum si investigamus, hujus temporis formularios multis erroribus implicatos fuisse comperimus.

Et primum *vindictæ* nomine illam manumissionem vocatam fuisse quæ in sacrosanctis ecclesiis fieret, ex hoc loco ingenuitatis epistolæ multisque aliis colligere possumus : *manumittere in ecclesia vindictaque liberare famulum suum secundum constitutionem bone memorie Constantini* (2). Quid autem esset vindictæ cum manumissione in ecclesia profecto nescio. Etenim antiqua consuetudine Romanorum illa recepta, hæc Constantini lege introducta fuit (3); illa apud magistratum fictitia ac solemni libertatis vindicatione fiebat, hæc in ecclesia, adstantibus episcopo et sacerdotibus, teste populo; illa jam sub imperatore Constantino, verbis solemnibus prætermissis, per lictores *expedita* (4), sub regibus barbaris non exstat, hæc ad IX^um^ sæculum in honore fuit. Denique, aliud esse apud consulem servos liberare, aliud in ecclesia manumittere, epitome Gaii quemque docebat (5). At accidit (quod jam de Falcidia animadvertimus), ut nomen manumissionis multos ante annos exoletæ, *vindictæ* scilicet, ad manumittendi adhuc frequentatum modum juris ignoratio transferret.

Quod ad testamenta attinet, solemnem testamenti per æs et libram nuncupationem in testamentum theodosianum perperam translatam fuisse iis temporibus videmus, non ex veterum exemplarium imitatione (ut videtur), sed ex ipsa legum romanarum ignoratione. Illa autem clausula quæ ad exheredationem pertinebat falsum in usum vertebatur. Romæ enim, ut legitimi heredes (hi erant agnati et cognati) ab hereditate summoverentur, non exheredatione erat opus, sed satis erat, iis præteritis, extraneam personam scribi, exceptis tantummodo liberis qui essent in potestate patris. Hi enim vel instituendi erant vel

(1) Zeumer, *Præfat. ad form. Turon.*, p. 130.

(2) Roz., 62 (Bituric.) = Thévenin, 27. Append. ad Marc., 56 = Lindenb., 98 = Roz., 63; Baluz., min., 5 = Roz., 64 = Thévenin, 11.

(3) L. un., C. Th., *De manum. in eccles.*, IV, 7 (Hænel, p. 110).

(4) L. 23, D., *De manum. vindicta*, XL, 2 (Hermogeniani).

(5) I, § 1 (Hænel, p. 314).

exheredandi, alioquin, si præterirentur, inutile testamentum dicebatur. Eo jure Romani utebantur, at Merovingorum ætate, notarii operam dederunt ut in omni testamento includerentur solemnia exheredationis verba, etiamsi liberi non existerent, ita ut illa superflua et inepta exheredatione proximi qui non scribebantur a successione repelli viderentur.

Venio nunc ad cartas. Et primum de *sponsalitiis* vel dotibus quas mariti uxoribus dabant. Capite xxxv° legis Juliæ ita cavebatur : « *qui liberos quos habent in potestate, injuria prohibuerint ducere uxores, vel nubere* (vel qui dotem dari non volunt : ex Constitutione Divorum Severorum et Antonini) *per Proconsules, Præsidesque provinciarum coguntur in matrimonium collocare et dotare* » (1). Quum vero Barbarorum ætate id obtinuisset ut dotem uxor marito more romano non jam afferret, sed maritus uxori, secundum consuetudinem Germanorum (2), factum est ut quod de dote ab uxoris patre danda lex Julia jusserat ad sponsalitium referretur, et ea lege cautum fuisse diceretur ut maritus uxori dotem daret. Unde omnibus plane sponsalitiis adscribi solemne caput mos erat, quod e multis chartis collectum sed plerisque in locis corruptum et mutilum in hunc prope modum restituendum esse censui : *Quod bonum, faustum, felix prosperumve eveniat. Sponsalitia largitate me tibi ad diem votorum promitto hoc et illud quod lex Papia Popea et lex Julia decreverunt, quæ de maritandis ordinibus latæ sunt* (3).

(1) L. 19, D., *De ritu nupt.*, XXIII, 2.

(2) Tacitus, *Germania*, 18. Rimasson, *Essai historique sur la législation du douaire en droit germanique* (*Revue de législation ancienne et moderne*, 1870-1871, p. 157, s., p. 372, s.).

(3) Promissio dotis. Sponsalitia largitate donare me tibi ad diem votorum promitto hoc et illud quod ex lege Papeam Popeam et ex lege Juliam quæ de maritandis ordinibus lata est. — Dote puellæ... Legum solemnitas et Julia decrevit auctoritas (Visig., 14, 15 = Gengler, *Germanische Rechtsdenkmäler*, Erlangen, 1875, p. 751). Cluny, 86 (904 ?). Libellum dotis. Quod bonum faustum filex prosperumve eveniat ! De disponsandis maritandisque ordinibus hac procreatione liberorum causis quæ fiunt, necesse est, ut omnes etiam donatio per scribturarum seriem pleniorem obteniant firmitatem. Donat igitur illi honeste puelle, noræ suæ lei, sponsa filio suo illo, ante die nuptiarum donantisque animo transferet atquæ transcribit (Marc., II, 15 = Roz., 223 = Thévenin, 174). *His verbis* quod bonum *et rel., Romani usi fuisse videntur, quum, populo ad comitia convocato, lex proponeretur.* Livius, *Historiæ*, III,

Pergamus porro ad præcipuam cartarum partem, videlicet ad stipulationem, in qua videtur non semel erratum fuisse.

Alii enim verbum *stipulationem* pro verbo *subscriptione* adhibebant, haud secus atque si idem valeret. Exemplorum copiam cartæ suppeditant, e quibus aliquot producam : *præsens venditio nostris vel bonorum hominum manibus roborata ac stipulatione subnixa omni tempore maneat inconvulsa. Donatio firma permaneat stipulatione subnexa idoneorum testium* (1). Qui vero stipulationem testamentis (2) et gestis (3) subjungebant, quia illa a testatore et a testibus, hæc a curialibus subscribebantur, eodem errore laborabant.

Alii errore haud minus capti videntur quos stipulatione *Aquiliana* instar stipulationis *subnixæ* usos fuisse supra dixi.

34, *de lege XII Tabularum ita scribit :* propositis decem tabulis, populum ad concionem advocaverunt, et : QUOD BONUM, FAUSTUM FELIXQUE Reipublicæ ipsis liberisque eorum esset ire et legere leges propositas jussere. *Quæ etiam solennia verba edictorum initiis fuisse adscripta indicat* Brissonius (*De formulis populi romani*, p. 307, s.). — Andecav., 54 = Roz., 226; Marc., II, 15 = Lindenb., 76 = Roz., 223; Cartæ Senon., 25 = Lindenb., 77 = Roz., 224. *Item ea lex romana quæ jubebat dotes* pro modo facultatum et dignitate natalium *constitui* (L. 69, § 5, D., *De jure dot.*, XXIII, 3) *in sponsalitiis conferendis observabatur*. Regulam antiquæ constitutionis quæ est de ordinatione matrimonii legibus constituta, evidentius observantes, quod pro dignitate natalium communium elegimus in Dei nomine faciendum, ut condignis atque consuetis vos cumulemur præmiis (Visig., 19).

(1) *Beaulieu* (10, 886-887). Brunner, *Zur Rechtsgesch. der röm. und german. Urkunde*, p. 226. 671. Firma... permaneat stipulatione subnixa idoneorum testium,... videlicet (*nomina*, Pardessus, II, 365). 749. His stipulantibus quorum nomina in alia cessione descripta esse videntur (Bordier, *Du recueil des chartes mérovingiennes*, p. 60 = Thévenin, 58). Testes vero sunt hujus meæ donationis ad hoc adstipulandum satis idonei (*Sauxillanges*, 561). 927-942. Ista etenim donatio, ut semper inconvulsa perseveret,... manu propria eam subterfirmavi et bonorum manibus hominum constipulandam contradidi (*Cluny*, I, 352). 966. Hanc traditionis cartulam fieri fecimus, coramque scabinionibus roborari stipulatione subnixa in publico placito (*Histoire de Lorraine*, III, preuv., p. 378 = Thévenin, 134). Zeumer, *Cartam levare in Sanct Galler Urkunden* (*Zeitschrift Savigny*, IV, 1883, german. Abtheil., p. 113, s.).

(2) Pardessus, II, 257 (632).

(3) Et hæc gesta,... manus eorum (*defensoris et curialium*) roborata ei visi fuimus tradidisse, stipulatione subnixa (Append. ad Marc., 53-55 = Lindenb., 63-65 = Roz., 261). Cpr., 262 : subscriptionibus (*curialium*) roboratum... tradatur. *In instrumento apenne dicto* (Pardessus, *Formule inédite, Bibliothèque de l'Ecole des Chartes*, I, 1839-1840, p. 219).

Nam, quia in tota juris civilis Quiritium structura quædam harmonica ratio, vel, ut ita dicam, συμμετρία inerat, nihil tam naturale Romanis visum erat quam *obligationes quæ certo jure contraherentur contrario jure perire* (1). Ideo si quid per æs et libram gestum erat (quod *nexum* dicebatur), reus vel *nexus* per æs et libram liberabatur (2). Item obligatio quæ litteris fiebat, interpositis aliis litteris, dissolvebatur. Quod autem mutuo consensu deberi cœptum erat mutuo dissensu tollebatur. Eadem ratione obligationes quæ verbis solemnibus contrahebantur, solemnibus verbis, *acceptilatione* scilicet, distrahebantur. Nam, quum in obligatione contrahenda creditori interroganti his verbis : *spondesne dare illud?* debitor responderet : *spondeo*, in obligatione tollenda vices ita commutabantur ut creditor his verbis interrogatus : *Quod ego tibi spopondi habesne acceptum?* responderet : *habeo*. Ut autem obligationes ipsæ quæ non verbis, sed alio modo, velut pacto convento, constitutæ fuissent, conceptis verbis acceptilationis perimi possent, stipulatio Aquiliana prodita fuit qua omnes obligationes renovarentur et in verborum obligationes deducerentur (3). Liquet autem aliam hanc stipulationem Aquilianam fuisse quæ ad tollendas obligationes intercedebat, aliam illam stipulationem *subjectam* vel *subnixam* qua consensus et pacta firmabantur et obligationes fiebant. Attamen jam vi° sæculo accidit ut

(1) L. 35, 100, D., *De regul. jur.*, L, 17.

Ce qui naît d'un moyen périt par son contraire.

(2) Est etiam alia species imaginariæ solutionis per æs et libram. Quod et ipsum genus certis in causis receptum est, veluti si quid eo nomine debeatur, quod per æs et libram gestum est... Adhibentur autem non minus quam quinque testes et libripens. Deinde is qui liberatur, ita oportet loquatur : « Quod ego tibi tot millibus eo nomine a te solvo liberoque hoc ære æneaque libra; hanc tibi libram primam postremamque expendo secundum legem publicam. » Deinde asse percutit libram, eumque dat ei a quo liberatur, veluti solvendi causa (Gaius, III, §§ 173, 174). Fustel de Coulanges, *La Cité antique*, 7e édit., p. 345.

(3) Quidquid te mihi ex quacumque causa dare facere oportet, oportebit, præsens in diemve : quarumque rerum mihi tecum actio, quæque adversus te petitio, vel adversus te persecutio est, eritve : quodve tu meum habes, tenes, possides : Quanti quæque earum rerum res erit, tantam pecuniam dari stipulatus est Aulus Agerius, spopondit Numerius Negidius; quod Numerius Negidius Aulo Agerio (promisit), spopondit : id haberetne a se acceptum, Numerius Negidius Aulum Agerium rogavit : Aulus Agerius Numerio Negidio acceptum fecit (L. 18, § 1, D., *De acceptil.*, XLVI, 4).

formularii in mirum errorem inducerentur, qua ratione nescio, forsitan propterea quod apud Paulum jctum has duas sententias repererant : *omnibus pactis stipulatio subjici debet, ut ex stipulatu actio nasci possit. Pacto convento Aquiliana stipulatio subjici solet* (1), quas ad eamdem stipulationem pertinere putaverunt, illam scilicet quæ ad roborandam conventionem adhiberetur. Inde fuit quod stipulationem vel *legem Aquilianam* (quum *lex* pro pacti conditione apud Romanos diceretur) cartis inserere consueverunt, ut pactum vallaretur (2).

Sed ad gesta progrediamur. Quæ igitur causa est cur *gestis alligationis* usus, VIII° sæculo jam senescens, IX° sæculo prope intermortuus videatur? Eam fuisse crassam legis inscientiam arbitror, Romanorum scilicet formulis et legibus adeo perperam intellectis, ut nec testamenta, nec donationum quidem instrumenta gestis alliganda esse, repugnante lege, putaretur. Quantopere vero illa falsa opinio invaluerit, plurima exempla ostendunt.

Insigne quidem exemplum exstat in Italicis donationum cartis VIII° sæculo exaratis. Etenim, quum apud Romanos receptum fuisset hoc ejus qui donaret munus esse gestorum alligationem « prosequi, » *quoniam ipsa donatio,* ut lex ait, *sita sit in voluntate donantis,* imperator Leo *apud quemcumque magistratum voluisset* alligandi licentiam ei indulserat, nempe sive apud moderatorem provinciæ, sive apud defensorem cujuslibet civitatis (3). At, donatoribus curam sumptusque alligandæ donationis his quibus donaretur delegare assuetis, pleræque donationes jam ante VIII^um^ sæculum claudebantur ea lege : *alligandi etiam gestis quibus placuerit et tempore quo volueritis, si necessum, non spectata denuo mea professione ex more concedo licentiam* (4). Notarii autem, quum quod eo

(1) Pauli *Sententiæ,* II, 23, § 2; I, 1, § 3 (Hænel, p. 368, 338).

(2) Stipulatus sum et spopondi... Aquiliam quippe commemorans legem, qui omnium scripturarum suo vigore iugiter corroborat actos. — Stipulatus sum et spopondi, Aquilianæ legis innodatione subinterfixa, qui omnium scripturarum solet adjicere plenissimam firmitatem (Visig., 1, 6). Neugart, I, 14, 15 (744-745).

(3) L. 30, C., *De donat.,* VIII, 54 (459).

(4) Brunner, *Zur Rechtsgesch. der röm. und german. Urkunde,* p. 140. 489. Tribuentes adlegandi fiduciam ita ut a tuis Actoribus fiscalia tributa solvantur. Actum Ravennæ (Marini, 82). 85 (523). 564. Quam si gestis municipalibus

pacto ageretur intelligere jam desiissent, atque eos fugisset donationes in acta publica, secundum principum constitutiones, perscribendas esse, putaverunt id ex arbitrio donantis omnino pendere, utrum donatio gestis alligari prohiberetur, an permitteretur, idque *alligandi licentia* significari.

Eædem opiniones in Gallia ea fere ætate obtinuerant. Nam inter donatores et testatores, alii, quasi publicæ legis præceptum privati hominis voluntate confirmari fuisset necesse, ipsi jubebant donationes vel testamenta, postquam aperta fuissent, gestis alligari (1). Plerique autem vetabant donationes alligari, quia proculdubio Constantii edicto de donationibus alligandis derogare duabus Theodosii constitutionibus sibi permissum fuisse arbitrabantur, adhibitis ad vetandum verbis ipsis quæ ex illis Theodosii constitutionibus repetebant.

Una vero erat ea lex quæ donationes apud curatores civitatis alligari vetabat, *ne tanta res eorum concideret vilitate* (2), cujus verba in multis donationibus VIII° sæculo conscriptis plane agnosci possunt : *presentem vero donationem nequaquam vilitate gestis municipalibus alligare curavimus* (3).

Alterum edictum agebat de bonorum cessione secundum legem Juliam, id est de quodam beneficio quod reis lege Julia

allegare ubi ubi aut quando tibi placuerit non amplius spectata mea professionem quam præsentibus testibus sum ælocutus tribuo ex more licentiam... (pro)fessus est et gestis allegandi municipalibus tribuit licentiam (80).

(1) Hec cartole textum firmior obteniat effectum, gestis municipalis sit oblegatum (Andegav., 40 = Roz., 247). Et hanc ipsam donationem gestorum solennitas corporalis traditio subsequatur. Marc., II, 17 = Roz., 129.

(2) Instrumentum quo continetur munificentia apud acta publicetur, in hac quidem urbe, apud magistrum census, in provinciis vero apud provinciarum rectores vel, si præsto non fuerint, apud magistratus municipales, vel si civitas... non habeat magistratus, apud defensorem plebis, in qualibet civitate fuerit repertus ; curatores enim civitatum ab huiuscemodi negotia temperare debebunt NE TANTA RES EORUM CONCIDAT VILITATE. Sed iam allegatas apud curatores donationes et gesta confecta valere necesse est (L. 8, § 1, C. Th., *De donat.*, VIII, 12). Vilitatis *verbo* cupiditatem *significari putat* Savigny, *Histoire du droit romain au moyen âge* (trad. Guenoux), I, p. 57. Zeumer, p. 75, n. 2.

(3) Trouillat, *Monuments de l'histoire de l'ancien évêché de Bâle*, I, 35 (728). Presentem vero donationem nequaquam a curialium vilitate gestis municipalibus alligare curavimus et omnino decernimus, ne aliquando in eam ob hoc casu quisquam valeat repperire (Marc., II, 3 = Roz., 215). Formulæ Augienses, 13 (Zeumer, p. 345).

tributum erat ut qui solvendo non essent, omnibus bonis cedendo debitis liberarentur. Solemnibus autem verbis cessio quondam fiebat, sed Theodosius, *sublata*, ut ait, *scrupulositate priorum legum*, apud acta dixit : *in omni cessione sufficit voluntatis sola professio* (1). Nostri vero formularii, quatenus hæc verba *cessionem* scilicet et *professionem* male intelligebant (tunc enim, quum aliquid donaretur ecclesiis, *cessio* fieri dicebatur; *professionem* vero donandi voluntatis, absque gestis alligatione, denuntiationem esse putabatur), persuasum habuerunt a Theodosio fuisse cautum ut donationes ad ecclesias, etiamsi gestis non fuissent alligatæ, valerent. Hinc illa verba in donationibus sæpe adhibebantur : *in cessionibus legum latores dixerunt possessionem* (pro *professionem*) *sufficere* (2). *Legum decrevit auctoritas et ratio juris exposcit ut inter reliquas scripturas sola tantummodo cessio sine gestorum obligatione plenissimam in perpetuum obtineat firmitatem* (3).

Iis tamen temporibus exstabat edicti Constantii de donationibus alligandis memoria, quo istæ opiniones fuissent infirmatæ, nisi formularum scriptores ipsum edictum pessime interpretati, Constantium sanxisse credidissent ut donationes, interpositis non gestis municipalibus, sed privatis tantum scripturis, perficerentur. Quidam enim indoctus hanc interpretationem in

(1) L. 6, C., *Qui bon. ced. poss.*, VII, 71 = L. 2, C. Th., *Qui bon. ex lege Julia*, IV, 18. *Junge interpretationem* : Quecumque aliquis alteri cesserit, profiteatur, se tantum rem cessisse vel causam, hoc est aut gestis aut scriptura aut testibus, et sola voluntatis illius professio pro omni firmitate sufficiat.

(2) 631. Legum latores de singulis quibusque rebus quid humana fragilitas custodiat expressius decreverunt. In cessionibus... (Pardessus, II, 254).

(3) *Sauxillanges*, 152, 413. *Brioude*, 86, 111, 115, 174 (anno v° quo Rodulfus cepit regnare), 199, 218, 226, 285. — 781. Licet in universis strumentis solennes munitiones antiquitus veneranda constituunt, ut undecumque contractus instituta firmitate muniatur : in cessionibus vero, seu et professionibus sola voluntate jusserunt principes manere auctoritate, ut quicumque aliquid alteri cesserit, profiteatur, sed tamen rem cessisse id est aut scripturis aut gestis, aut testibus, et sola voluntatis professio pro omne firmitate illius sufficiat, in augmentum (*Saint-Victor de Marseille*, I, 83). Cpr.: 948. Prisce legis... hauctoritas... decreverunt, ut cessionibus non sola volunt professor sine gestorum allegacione potest adfirmantur (*Sponsalitium*, *Cluny*, I, 725). 906. Noticia tradicionis... latorum lex constituit quicumque res suas in aliena persona transfundere voluerit, sola traditio sufficit (91). Pauli *Sententiæ*, V, 12, § 2 (Hænel, p. 426).

Breviario reperit : *Ante tempus legis istius* (nempe legis Constantii) *donationes etiam sine gestorum testificatione valebant. Nunc vero post hanc legem nec nuptialis, nec qualibet alia inter quascumque personas donatio, de quibuscumque rebus valere potest, si gestis non fuerit allegata* (1). Qui, quoniam donationem *gestis alligare* unum et idem esse atque donationis *cartam scribere* existimat, interpretationem omnibus donationum (venditionum etiam) cartis pro solemni præfatione adscribit (2). Ecce autem alii hoc procemium explicant (3), tempus actum prædicant quo, vigente fide antiqua, pacta sine chartis et atramentis servarentur, recentia tempora ista rudi lege inchoata detestantur (4), denique quidam tabellio, qui juris negotia versibus libenter scribebat, istas nugas incompto carmini mandat (5).

Sed vereor ne cui nimius misereque diligens in illis formulariorum erroribus indagandis fuisse videar; attamen multum abest ut ego operam ad supervacua contulisse putem, quia quoddam, maximi profecto momenti, ex illis quæ supra dixi

(1) L. 1, C. Th., *De sponsal.*, III, 5, Constantini (Hænel, p. 76).

(2) *Saint-Victor de Marseille*, I, 70 (984); *Lérins*, 176 (1035).

(3) Sæcul. XI. Ante tempus legis istius, donationes queque valuerunt, si gestibus non fuerint colligate. Postea enim quam leges esse ceperunt, sancti Dei institutores sancxerunt ut venditio firma et stabilis sit omni tempore... (*Saint-Victor*, I, 55).

(4) 1035. Priscis temporibus cum constet omnem donationem sine ulla titulatione cartæ et atramentis valuisse et rigore suæ stabilitatis viguisse, nunc vero, modernis temporibus exardescente zelo cupiditatis, ullam donationem vix stabilitam esse vinculis sacramentalibus cernamus, ideo in cartis et membranulis scribere dignum ducimus quod cupimus donare Christo aut alicui homini (*Saint-Victor*, I, 56).

(5) *Non silentio prætermittam hoc poeticorum ludicrorum specimen quæ illis temporibus valde placuisse videntur :*

Dum antiquissima in colonis sinceraque viebat simplicitas,
Necdumque humana crassabatur malignitas.
Subnixe fidei custodiebatur sublimitas,
Sive literis donationis fixe durabat firmitas;
Quod mutavit paternitas,
Succedensque modernitas,
Scilicet omne datum,
Gestis non alligatum,
Testibus roboratum,
Predicat annulatum. (*Saint-Victor*, 405.)

potest effici. Nam quum chartas VIII° sæculo et recentioribus etiam temporibus conscriptas intuenti occurrit et *Falcidiæ*, et legis *Juliæ de maritandis ordinibus*, et *vindictæ*, et *stipulationis*, et *gestorum* iterata mentio, prima specie deceptus, Romanorum leges et instituta post tot annos atque procellas reperire miratur. Sed postquam, facta diligenti pervestigatione, comperit et legitimorum heredum jus Falcidiam nunc appellari, et legem Juliam ad germanica sponsalitia pertinere, et verbo *vindicta* manumissionem in ecclesia significari, et stipulationem idem esse ac subscriptionem, et *gesta* nihil aliud esse nisi instrumenta privata, omnia in summa, præter nomina, fuisse renovata, ad eam opinionem adducitur, quæ tota nititur juris historia, ut sæpissime rerum appellationes et solemnia verba, non vero res ipsas, per sæcula durare arbitretur.

2° Juris romani usus in formulis exstat.

Jurisprudentiæ quidem prope alieni, usus autem Romanorum summi imitatores formularum nostrarum scriptores fuerunt. Tanta etiam auctoritate usus apud illos valuit, ut aliud legem ipsam esse, aliud legis usum obliti, eum pro ipsa lege habuerint. Sic, quum pacta conventa et cætera negotia scriptis mandari in usu cottidiano apud Romanos esset, id legis romanæ præceptum fuisse ut, quodcumque negotium ageretur, ejus instrumentum conscriberetur, permultas chartas solemnibus verbis docere paulo post dicam. Quid autem sit quare, quum aliquis fundum, IX° adhuc sæculo, acquireret, *introductio locorum secundum legem romanam celebrari deberet*, qua is in possessionem induceretur (1), primum miramur, quoniam lex romana nullam in tradenda rerum possessione solemnitatem custodiri jusserat, sed usus a lege dissentiens jam V° sæculo instituerat ut solemnes introductio locorum et ambulatio conficerentur (2). Denique, quemadmodum Romani

(1) Sirmond., 15 = Lindenb., 80 = Roz., 257. 865. Placuit supra dicto Ebolo, ut ipsum mansum beato Paulo Apostolo vel ipsius monachis... traditionem vel introductionem locorum secundum legem romanam facere deberet : quod ita et fecit (*Cartulaire de Cormery*, Thévenin, 98).

(2) 541. Sollemnis est introductio celebrata (Ravennæ, Marini, 117). 489.

magistratus agros vectigales in quinque annos locare solebant (1), sic precariæ quibus actores ecclesiarum agros quodammodo locabant, *de quinquennio in quinquennium renovabantur*, quod etiam *secundum legis romanæ sanctionem* fieri quidam formularius affirmabat (2). Quibus ex rebus colligitur adeo usum legis vicem ea ætate obtinuisse ut quædam Romanorum consuetudines quas revera vel sequi, vel deserere licebat, pro legalibus præceptis observarentur.

Præterea juris romani usus plurima vestigia in formulis et instrumentis reliquit, ex quibus judicari potest quantæ suæ vis et potestas illis temporibus fuerint. Ut obiter memorem quasdam usus reliquias quæ jam notæ sunt nobis, clausulam codicillarem, stipulationem dupli pretii, satisfactionem rei duplicem, stipulationem aquilianam, et stipulationem subnixam

Cum hodie ambulaissent et pervenissent ad singula prædia adque introissent... et circuissent omnes fines... et traditio corporalis celebrata fuisset (83, col. IV, 1). 540. Quando eidem emptori placuerit sollemnem traditionem celebrari (115, col. II, 9). *De sponsalitia donatione interpretatio legis romanæ Wisigothorum cavet ita :* ut et gesta legitime facta doceantur, et introductio locorum vel rerum traditio subsequatur (L. 2, C. Th., *De sponsal.*, III, 5, Constantini, Hænel, p. 78).

(1) L. 3, § 6, D., *De jure fisci*, XLIX, 14. L. 3, § 1, D., *De admin. rer. ad civit. pertin.*, L, 8. Mommsen, *Römisches Staatsrecht*, II, p. 320. Esmein, *Les baux de cinq ans du droit romain* (*Nouvelle Revue historique de droit*, 1886, p. 1, s., = *Mélanges d'histoire du droit et de critique*, p. 219, s.). *Privatorum etiam agros per singula lustra locatos fuisse*, Plinius (*Epistolæ*, IX, 37) *auctor est.*

(2) *Cluny*, I, 95 (907). Lœning, *Geschichte des deutschen Kirchenrechts*, II, das Kirchenrecht im Reiche der Merowinger, p. 714, s. — *Interdum ea lege precaria fiebat ut de quinquennio in quinquennium renovaretur;* et ut hec precaria firmior habeatur, de quinquennio in quinquennium sit renovata (Lindenb., 19, 20 = Roz., 331, § 2, 346). *Plerumque ea lex dicebatur ne precaria renovaretur. Hanc legem adscriptam precariæ Waldemeri et Ercambertæ reperimus.* 729. Ut hæc epistola precaturia tam se de quiquennio in quiquennio renovata fuerit, ista non sit necesse, cui nobis placeat adfirmare sed per semetipso omni tempore obteneat firmitatem (Dom Bouillart, *Histoire de l'abbaye royale de Saint-Germain-des-Prez*, 1724, pièc. justif., 5, 690 = Guérard, *Polypt. d'Irminon*, II, p. 342, 729). Merkel., 5 (Zeumer, p. 243) = Roz., 321, § 1) 735. Unde placuit vobis ut duas precarias absque quinquenii renovacione facte fuissent, et nos unam de manu vestra firmatam reciperemus et vos similiter de nostra, quod ita factum est... Avendo castro sive Romarico commorante monasterio (Pardessus, II, 557 = Thévenin, 56). 773. Data precaria hanc decuria et non quinquagenas renovationis (Neugart, I, 55).

more inductas fuisse constat. Ab eodem fonte et *precariæ* et scripturæ solemnitas petitæ fuerunt.

1° Ut vero a *precaria* initium faciam, *precarium* Romani dicebant, *quod precibus petenti utendum concederetur tamdiu quamdiu is qui concessisset pateretur* (1). III° autem sæculo, iis qui prædia conducebant jam solemne erat uno eodemque momento fundum precario rogare (2), cur vero id fieri soleret ambigitur, sed illam consuetudinem adeo inveteravisse constat ut conductores rerum alienarum inter *precario detinentes*, proximo sæculo, numerarentur (3). Qua e diversorum pactorum conjunctione precariam ortam esse plerique juridicæ historiæ scriptores censuerunt, mixtis precario ac locatione in quodam negotio novo (4). Quod autem negotium simile erat precario, non solum quia unus precibus utebatur, et alter beneficium tribuebat (5), sed etiam quia is qui precariam concedebat, nonnunquam sic dabat, quasi tunc recepturus, cum sibi libuisset precariam solvere (6). Rursus locatio et precaria proximam familiaritatem aliquam inter se habere videbantur, quia res sub annuo censu concedebatur, nec plerumque quam-

(1) L. 1, pr., D., *De precario*, XLIII, 26, Ulp.

(2) L. 33, § 6, D., *De usurp. et usucap.*, XLI, 3. L. 10, § 1, D., *De acq. vel amit. poss.*, XLI, 2. L. 2, C., *De præscr. XXX vel XL an.*, VII, 39.

(3) L. 34, C., *Loc.*, IV, 65.

(4) G. Demante, *Des précaires ecclésiastiques dans leur rapport avec les sources du droit romain* (*Revue historique de droit*, 1860, VI, p. 51). Fustel de Coulanges, *Les origines du régime féodal* (*Revue des Deux-Mondes*, 1873, p. 461, s.). Garsonnet, *Histoire des locations perpétuelles*, p. 252. H. Brunner, *Die Erbpacht der Formelsammlungen von Angers und Tours und die spatrömische Verpachtung der Gemeindegüter* (*Zeitschrift Savigny*, V, 1884, german. Abtheil., p. 69, s.). Esmein, *Compte-rendu* (*Nouv. Rev. histor. de droit*, 1885, p. 249, s.). Lécrivain, *De agris publicis imperatoriisque ab Augusti tempore ad finem Imperii romani*, 1887, Appendix I, De conductione perpetua in formulis quibusdam Turonensibus Andecavensibusque. *Quod de precario scripsimus*, 1884, p. 28, s.

(5) Dum nostra fuit petitio et vestra benevolentia et pietas habuit (Marc., II, 5 = Roz., 345, § 2). Lindenb., 20 = Roz., 346. Lindenb., 25 = Roz., 341. Roz., 353 = Augiens., B. 16 (Zeumer, p. 355). *Beaulieu*, 23 (859). Ducange, v° *precaria*.

(6) Quatenus vestrum manserit decretum (Sirmond., 7 = Roz., 319). Quamdiu vobis placuerit (Marc., II, 41 = Lindenb., 150 = Roz., 325). Quandocumque volueritis et vobis placuerit (Marc., II, 9 = Lindenb., 51 = Roz., 337).

diu dominus vellet, sed ad certum tempus, sæpe ad vitam ejus qui rem acciperet, vel, ut ante paulo scripsi, in quinquennium.

2° Maximum autem documentum quam vigunerit juris romani usus præbent contractus qui scriptura fiebant. Jam vero propositum est apud Romanos scripturam tantum ad probationem modo adhibitam fuisse, ita ut, instrumento etiam non interveniente, quod actum esset valeret, atque aliis probationibus, velut testium depositionibus, veritas rei factæ ostendi posset. Sed quædam scripturæ solemnitas paulatim introducta fuit, ita ut id quod sine scriptis factum esset haberetur irritum, nec alio modo probari posset, quæ etiam litterarum solemnitas veterrimam nuncupatorum verborum solemnitatem postremo excepit. Nam, quum antiquissimo ritu testamenta solemni nuncupatione ante populum agerentur (vel calatis comitiis, vel in procinctu) (1), viris ad prælium ituris, accessit testamentum per æs et libram, in quo et tabulæ scriptæ et verba mancipationis ac nuncupationis adhibebantur (2), denique testamentum theodosianum constitutum est quod omnino per scripturam fiebat. Item olim, quando apud magistratum lege agebatur, solennia verba dicebantur, sed postea lege Æbutia et duabus legibus Juliis statutum est ut per formulas scriptas homines inter se disceptarent.

Idem in conventionibus evenit quæ, quum olim conceptis verbis stipulationum firmarentur, scripturæ solemnitate sub novissimis imperatoribus fiebant.. Primum enim, quoniam nihil est difficilius quam initam conventionem probari, nisi de ea scriptura intercesserit (præsertim adhibito teste nullo), adeo ut pactum, etsi jure valeat, re ipsa tamen ad irritum redigatur, accidit ut qui jurisprudentiæ parum periti, usu autem et litibus edocti, leguleii scilicet, formularii, tabelliones et judices, scriptura ipsa obligationes contrahi existimarent, nihilque agi donec litteræ intervenirent. Quæ opinio, quamvis prudentes operibus (3) et impera-

(1) Ἦν δὲ τότε τοῖς Ρωμαίοις ἔθος εἰς τάξιν καθισταμένοις... ἅμα δὲ διαθήκας αγραφους γίνεσθαι (Plutarchus, *in Coriolano*).

(2) Fustel de Coulanges, *La Cité antique*, 7e édit., p. 89, 367.

(3) Fiunt enim de his scripturæ, ut quod actum est, per eas facilius probari possit : et sine his autem valet, quod actum est, si habeat probationem :

tores rescriptis (1) eam minuere conati fuerint, adeo processit ut paulatim ipsa lege solennitas scripturæ fuerit comprobata.

Quod primum singulis legibus receptum fuit. Jam enim Divus Pius constituerat ut donatio inter parentes et liberos, confecto et tradito instrumento, perficeretur (2). Deinde Constantium sanxisse ut quælibet donatio tantum perficeretur quo tempore in tabulas publicas perscriberetur sæpe dixi. Ulpianus vero scripserat : fidejussores a tutoribus nominatos, si nomina sua referri in acta publica passi essent, perinde teneri atque si jure legitimo stipulatio interposita fuisset (3). Denique Justinianus voluit matrimonia non aliter fieri nisi vel instrumentum dotale, vel attestatio matrimonii conscriberetur (4).

Interea scripturæ solennitas usu et opinione jamdudum inducta, propositis a Justiniano duobus edictis quæ latissime patebant pro legitima habebatur (5). Alterum (quod attigimus) edictum jusserat, quoties inter contrahentes actum intelligeretur ut contractus in scriptis fieret (quod ex more et usu qui pactorum lex et norma sunt, erat intelligendum quoties de re alicujus momenti negotium ageretur), contractum non ante perfici, quam in scriptum redactus fuisset atque, si instrumentum a tabellione conscriberetur, antequam illud completum et absolutum fuisset. Altera constitutio de stipulatione lata est. Quum enim veteres juris Quiritium ritus et verborum solennitates quasi nugæ paulatim a privatis hominibus negligerentur, et ex illis pleræque ab imperatoribus tollerentur, quia cap-

sicut et nuptiæ sunt, licet testatio sine scriptis habita est (L. 4, D., *De fide instrum.*, XXII, 4). Si res gesta, sine litterarum quoque consignatione, veritate factum præbeat, non ideo minus valebit, quod instrumentum nullum de ea intercessit (L. 5, eod. tit.).

(1) L. 6, 9, 10, 11, 12, C., *De fide instrum.*, IV, 21, Dioclet. L. 9, 13, C., *De nupt.*, V, 4.

(2) Accarias, *Précis de droit romain*, I, 304, 4e édit., p. 795.

(3) L. 4, § 3, D., *De fidej. et nomin.*, XXVII, 7.

(4) Nov. 74, cap. 4, § 2, et non aliter videantur nuptiali affectu eosdem convenisse, nisi tale aliquid agatur, et omnino ex literis causa testimonium habeat, his ita gestis, et nuptias, et ex eis sobolem esse legitimam.

(5) L. 17, C., *De fide instrum.*, IV, 21. L. 14, *De contr. et committ. stipul.*, VIII, 38.

tandæ simplicitati calumniosis ambagibus insidiabantur (1), accidit ut, quando de re aliqua stipulatio erat interponenda, solennia verba : *spondes? spondeo* (vel alia comprobata) non jam nuncuparentur, sed ea fuisse nuncupata in instrumento verbis prædictis : *stipulatus est Titius, spopondit Mævius* (vel aliis) scriberetur. Sic quod non actum erat scribebatur, quo fiebat ut Mævius ex stipulatione judicio postea conventus simulatam fuisse stipulationem probando Titium agentem submovere posset. Sed illam probationem jam arduam tam difficilem Justinianus effecit (quo modo longum est dicere) (2), ut posthac qui obligationem contrahebant sine periculo et omnino impune præterire possent quin solennia stipulationis verba nuncuparent, adscriptis tantum in tabulis pacti verbis *stipulatus est ille, spopondit ille.*

Quibus ex omnibus manifestum est primum morem instituisse, deinde legem sanxisse ut et pacta conventa scripturæ solemnitate roborarentur, et stipulatio non jam verbis nuncupatis sed verbis scriptis constaret. Ad nostras vero formulas secundum legem romanam redeamus; in iis enim res non aliter se habuisse videbimus (3).

(1) Seuffert, *Zur Geschichte der obligatorischen Vertræge,* 1881, cap. die Durchbrechungen des Formalismus.

(2) Et si inter præsentes partes res (*id est stipulatio*) acta esse dicitur (*in instrumento scilicet*), et hoc esse credendum : si tamen in eadem civitate utraque persona in eo die commanet, in quo hujusmodi instrumentum conscriptum est : nisi is, qui dicit sese, vel adversarium abfuisse, liquidis, ac manifestis probationibus, et melius quidem, si per scripturam, vel saltem per testes undique idoneos et omni exceptione majores ostenderit, sese, vel adversarium suum eo die civitate abfuisse : sed hujusmodi scripturas (*videlicet quæ inter præsentes partes stipulationem actam fuisse testarentur*), propter utilitatem contrahentium esse credendas (L. 14, C., *De contrah. stipul.*, VIII, 38). *Quo ex loco satis apparet, quum stipulatio contraheretur, ne id quidem partes observare ut utraque utrique essent in præsentia, nedum solemnia verba nuncuparent. Partes autem vel solemnibus stipulationis verbis usas fuisse, vel saltem quo temporis momento stipulatio intercessisset, præsentes fuisse, in instrumento scribere solebant, quod non solum ex Justiniani edicto, sed e nonnullis chartis colligitur :* 540. Stipulatus est Montanus... emptor, spopondit... Domnicus... venditor ad omnia suprascripta in vervis sollemnibus (Marini, I, 115). In quam rem, vi doloque secluso, præsens præsentibus stipulatus sum et spospondi (Visig., 1). *Formula :* presens presentibus dixi (*Supra,* p. 13, n. 3).

(3) *De solennitate scripturæ in formulis :* Esmein, *Étude sur les contrats dans le très ancien droit français* (*Nouv. Rev. hist. de droit,* 1880, p. 670, s.);

Neminem enim fugit, illis temporibus, jus romanum et jus germanicum in eo consensisse ut in negotiis et pactis agendis voluntas hominis, quæ per se videretur infirma, solennitate quadam muniretur, vel, quum res secundum Barbaricam legem fieret, adhibito ritu quodam, velut festucæ traditione; vel scripta carta, quum pactum sécundum legem romanam conficeretur. Quamobrem, carta modis seu *titulis* quibus acquireretur dominium annumerabatur, nempe successioni, usucapioni, festucæ, andelanco (ne plura complectar), quod ex his documentis colligitur : *per cartas venditionis exinde res aliquas visus fuit comparasse. Honorem... illum quem... per instrumenta chartarum... monasterio tradiderunt. Per cartulam adquisivi* (1). Cæterum plurimi legum (2), formula-

Brunner, *Zur Rechtsgesch. der röm. und germ. Urk.*, I; Viollet, *Histoire du droit français*, I, p. 509; Franken, *Geschichte des franzœsischen Pfandrechts*, p. 93, s.; Marcel Fournier, *Affranchissement dans le droit gallo-franc*, 1885, p. 82, s.; Brunner, *Deutsche Rechtsgesch.*, I, p. 397, s.. *Quod de contractibus per cartam proposui* (*Nouv. Rev. hist. de droit*, 1887).

(1) Neugart, I, 110 (790). *Cartulaire de l'abbaye de Saint-Guillem du Désert* (Dom Vaissette, II, 18, 807, *charta regis Ludovici Pii pro abbatia S. Guillelmi*). 685. Ego... A. illuster vir... deputavi et concessi atque delegavi, per hanc paginam donationis ad monasterium Sithiu (Guérard, *Cartulaire de l'abbaye de Saint-Bertin*, chartular. Sithiense, pars 1a, chartularium Folquini, lib. I, 11). 800. Vobis per venditionis titulum... ecclesiæ vestræ, a die presenti, transfirmo (47). 728. Donamus a die presente... quicquid... de quibuscumque hominibus per vendicionis titulum... comparavimus (Trouillat, *Monuments de l'histoire de l'ancien évêché de Bâle*, 35). 790. Talis nobis decrevit voluntas, ut... ad monasterium s. Gallonis... sicut mos est, per scriptionis titulum aliquid conferre deberemus... nos ad profectum dicti monasterii... *per chartam firmitatis* deligavimus (Neugart, 112). 831. Sicut per cartulam compartalions (*sic*) adquisivi,... sicut michi per ipsas cartulas obveniat, una cum ipsis cartis adquisicionis (*Cartulaire de l'abbaye d'Aniane*, dom Vaissette, II, 79). Per istam cartam damus (*Sauxillanges*, 101). 943. Res et mancipia que... per instrumenta cartarum... contulit (*Cluny*, I, 635). 953. Hugo... respondit quod ipsas res de parte matris sue Dodane tenebat, per donum et cartam que Leutbaldus senior ejus incartavit et pro hoc tenet (856). 971. Terram nostram qui nobis advenit de alode parentum vel per athractum scriptura[rum nostrarum] (Molinier, *Charte de l'année* 971, *Bibliothèque de l'École des Chartes*, XXXVI, 1875, p. 443).

(2) Donationes sub hac sollennitate præcipimus celebrari : quod si... res mobilis fortasse donetur... sola traditione largientis sit perfecta donatio... Si vero prædium... quisquam... conferre voluerit, scriptura munificentiæ etiam testium subscriptionibus roborata gestis municipalibus allegetur (*Edictum Theoderici*, 52, 53, *M. G., L. L.*, V, p. 157). *Lex romana Curiensis*, II, 29

rum (1) et instrumentorum (2) loci monstrant id quod actum esset, scriptura non interveniente, vel omnino non valere (adeo ut, nisi instrumentum dotale scriberetur, filii ex matrimonio suscepti *naturales secundum legem appellarentur*) (3), vel plenissima firmitate saltem carere.

Stipulationis autem clausula cartis eam vim suppeditari credebatur qua pacta corroborarentur. Non modo enim stipulatio nunquam notitiis subjiciebatur, quas ad probationem non ad solennitatem interpositas fuisse scimus, sed cartam stipulatione subnixa firmatam fuisse multæ vel innumerabiles cartæ his verbis declarant : *stipulatione subnixa firmamus*, *roborare stipulatione*, *firmitas subnixa* pro *stipulatione subnixa*, *adstipulare* pro *firmare* (4), vel apertissime : *cum stipulatione subnixa quæ omnium cartarum accommodat firmitatem*. Nec majus argumentum afferre possum quam quod in aliqua carta scriptum

(Walter, *Corpus juris germanici antiqui*, III, p. 700). Cpr., l. 1, 6, 8, C. Th., *De donat.*, VIII, 12. Si quis mulierem disponsaverit, quidquid ei per tabularum seu cartarum instrumenta conscripserit, perpetualiter inconfulsum permaneat (*Lex Ribuaria*, XXXVII, 1, *M. G.*, *L. L.*, V, p. 232). *Lex Bajuwariorum*, I, 13 (Walter, I, p. 285).

(1) Latores legum sanxerunt ut qui de iure proprio alicui aliquid tradere voluerit hoc... per scripturarum seriem firmiter faciat obligari, ut in evum inconvulsum valeat permanere (Lindenb., 152 = Roz., 159).

(2) 1095. Romane legis... docent precepta..., ut quicumque voluerit aliquid de suo in alterius potestatem transfundere, per cartam testamenti illud infundat. Si enim honoris datio sine carta testamenti facta fuerit lex eam annulari jubet; si vero per cartam corroborata immobiliter perseverare (*Lérins*, 8). *Hic locus ad Edictum Theoderici* (*supra*, p. 81, n. 2) *pertinere mihi videtur* (*Lérins*, 16 (1093), 34 (1066-1101), 121 (sæc. XI). Honor *pro* terra *accipitur*. 1030. Cum temporibus liqueat antiquioribus donationem cunctam sine ulla titulatione valuisse, modernis tamen temporibus... legalibus edictis constat... nullam donationem... sine litteralibus gestis valere (*Saint-Victor*, 21). Pardessus, II, 587, *charta a.* 746 *pro monasterio Flaviniacensi*. *Saint-André-le-Bas*, Append. chart. Vien., 113 (924), 114 (927-948), 62 (1083).

(3) Dum non est incognitum, ut femina aliqua nomen illa bene ingenua ad coniugium sociavi uxore sed qualis causas vel tempora mihi oppresserunt, ut cartolam libellis dotis ad ea, sicut lex declarat, minime excessit facere, unde ipsi filii mei secundum lege naturalis appellant (Cartarum senonicarum appendix, 1 a, Zeumer, p. 208. = Thévenin, 35 a).

(4) Pardessus, II, 257 (632). 726. Et hoc previlegium maniat evo in tempore soledorum stipolatione adnexa pro omne firmitate robores (Addit., 86). Circ. 1131. Facta est hec donatio, omni firmitate subnixa (*Fontes rerum bernensium*, I, 7).

est : *omnis qui vult res suas in alterius transfundere potestatem debet hoc facere stipulatione* (1), alibi vero : *quicumque res suas contradere delegerit testamento cum stipulatione sibi subnixa peragat* (2).

Cur autem et litterarum solennitas eo tempore adhiberetur et scriptura ipsa stipulatione roborari videretur eam unam causam fuisse ex illis constat quæ modo proponebam, quod eadem scripturæ solennitas, eadem clausula stipulationis pactis subjecta Romanorum usu et consuetudine jampridem fuerant receptæ. Recte igitur solennitas scripturæ *lege antiqua* (3), *lege romana* (4), *principum edicto* (5) instituta in formulis nostris dicebatur, dummodo legis atque usus discrimen iis temporibus sæpe non servatum fuisse recordemur. Sed jam

(1) *Cluny*, IV, 3545 (1079). Sæc. XI. Quicumque possessionem suam vult in alterius jure transfundere, debet illud facere dono, aut precio, aut stipulatione. Omnis homo qui *etc.*, est necessarium ut perficiat illut secundum juris cessione, id est aut vindicta, vel testamento, seu stipulacione, quatenus firma et stabilis ipsa permaneat institucio (*Saint-Victor de Marseille*, I, 36, 248).

(2) 1074. Quicumque... res suas in usus pauperum Christi contradere delegerit, subscriptionis et manumissionis testamento... cum stipulatione sibi subnixa peragat (*Lérins*, 161, in civitate Nicensi).

(3) *Lérins*, 192 (1046-1066).

(4) 979. Lex precepit romana ut quicumque rem suam in alicunque transfundere voluerit potestatem per paginem testamenti eam infundat, ut prolixis temporibus, secura et quieta permaneat. Facta donatio ista in Arelate civitate (*Saint-Victor de Marseille*, 1042). 1038. Legum romanarum auctoritate sancitum, nullam debere fieri donationem, nisi litterali pretitulatione muniatur (625). 1040. Agitur nunc, more legis romane, ut, si quis quippiam vult transfundere donando vel commutando, per paginam letterarum hoc corroboret; antiquitus enim sine literarum corroboratione vigebat. Nos autem secuti potiorem usum, vendimus vel cedimus, his litterulis roboratum aliquid (179). *Lérins*, 134 (1030-1046). 1096-1115. Romanorum legum erudicione didicimus quod si quisquam aliquid de rebus suis donaverit aut aliena injuste detenta dimiserit, scripture documento... hoc confirmet (220).

(5) 1029. Quicumque Romanorum principatus instructus lege voluerit sanctam dei æcclesiam... benivolentiam libenti animo exercere... scriptionis seriæ antiquitus legaliterque libuit aligare sub romana potestate et privilegii auctoritate (*Cluny*, IV, 2816). Sæc. XII. Auctoritatibus cavetur ut, si quis... de rebus suis... vendiderit, donaverit seu permutaverit vel alio quoquo modo contraxerit per scripturam hoc facere debebit, et tunc securus erit secundum quod imperialis lectio dicit : « scriptura enim ob eternam rei sit memoriam » (*Lérins*, 86). 1092. Exigit... romanorum principum institutio ut, si quis rem suam transigere, transfundere aut donare voluerit, per testamentum pagine confirmet (*Lérins*, 197).

in his rebus satis mihi morari videor, quas, quum hisce novissimis annis sæpissime tractatæ et versatæ sint, hac mente aggressus sum non ut aliquid novi et inauditi proferrem, sed potius ut ea breviter commemorarem quæ, antequam hoc parvum volumen in lucem prodiit, fuerunt proposita.

CAPUT IV.

EX FORMULIS ET INSTRUMENTIS VIDENDUM QUOMODO RES SE HABUERINT INTER JUS ROMANUM ET JUS GERMANICUM.

Jam diximus, postquam Germani orbem romanum ingressi, Romanique, inter sese institutis et legibus dissidentes, in iisdem regionibus habitare cœperunt, ea ratione legis romanæ et legum Barbarorum contentionem diremptam fuisse ut homo quisque nationis suæ legibus uteretur. Multa autem illius gentium et legum diversitatis vestigia in formulis et in chartis apparent, quorum ut de duobus evidentissimis meminerim, primum in multis judiciorum notitiis scriptum est rem apud judices Romanos, Salicos, Alamannos, Gothos actam fuisse, scabinis ex natione cujusque litigatoris sumptis (1) et

(1) 845. Judicium seu et notamen donationis... Ubi adveniens Alexandrius, advocatus... de ipsa casa Dei sancti Victoris martiris Massiliensis... in mallo publico ante Rothbertum vicarium de viro illustri Adalberto comite, et tam scavinis, tam romanis quam salicis, vel judicibus, qui cum ipsis ibidem aderant (*Saint-Victor*, I, 26 = Thévenin, 80). 918. Cum... resideret Aridemundus episcopus sedis Tolosæ civitatis, cum viro venerabili Bernardo, qui est missus advocatus Raymundo Comite Tolosæ civitatis... una cum abbatibus, presbyteris, judices, scaphinos, et regimburgos, tam Gotos quam Romanos seu etiam et Salicos..., id est judices Romanorum;... judici Gothorum;... judices Salicorum (Dom Vaissette, V, 43 = Thévenin, 123). 920. Noticia de iudicado inter Waldone episcopo et de monachis sancti Galli, et advocato eorum. Residente duce Burchardo... in mallo publico... mandavit dux Burchardus, ut secundum legem Romanam iudicarent, qui de hac causa facere debuissent. Iudicaverunt omnes Romani et Alamanni (Neugart, I, 705). 933. Veniens Vibardus mandatarius Donadeo abbati et congregatio sancti Iohannis monasterii Castro-Mallasti... in civitate Narbonæ, in præsentia domno Aymerico archiepiscopo et domino Pontione comite..., vel judices qui jussi sunt causas dirimere... tam Gothos quam Ro-

ideo litigatoribus quo ex genere essent interrogatis (1). Deinde is mos ab VIII° sæculo ad XI^um^ sæculum incipiens in Gallia, a X° sæculo ad XII^um^ sæculum vergens in Italia, servatus est ut qui paciscerentur *legis* vel *nationis* suæ professionem

manos velut etiam Salicos... in mallo publico (Dom Vaissette, V, 57 = Thévenin, 128). 967-968. Noticia guirpicionis vel diffinitionis, in Arelate civitate, publice ante domno Villemmo inlustrissimo comite, et ante vassos dominicos, tam romanos quam salicos, una cum plurimarum personarum diversis legibus viventibus... Ibique veniens Honoratus... Massiliensis episcopus... interpellavit aliquos homines... de terra sancti Victoris... quod contra legem... invaserunt... Videntes vero predicti homines... se recognoscebant quia nullum directum non habebant... et se guerpierunt... Et si legibus factum et diffinitum habui *qualiter lex romana comemorat,* « quicquid in presentibus partibus fuerit ordinatum habebit plenissimam firmitatem nec poterit immutari » (*Saint-Victor de Marseille,* I, 290). Waitz, *Deutsche Verfassungsgeschichte,* IV, p. 403, s. *Quod ad ævum merovingicum attinet, consule* Fustel de Coulanges, *Histoire des institutions politiques de l'ancienne France,* p. 419, s..

(1) 898. *Josue advocatus ecclesiæ Nemausensis a quodam Rodestagno res ecclesiæ repetit :* Interrogati fuerunt a judicibus qua lege vivebant. Josue *Gotum* se esse dixit, Rodestagnus *Salicum* (Germer-Durand, *Cartulaire de Notre-Dame de Nîmes,* 8 = Thévenin, 114). 816. Tunc interrogatum fuit... sub qua lege vivebat, et ipsius sibi a lege Salica adnunciauit (*Chartularium Cellæ Patriciacensis,* 18, Pérard, *Recueil de pièces servant à l'histoire de Bourgogne,* p. 35). Brunner, *Deutsche Rechtsgesch.,* I, p. 272, n. 65.

Hæc alia gentium diversitatis monumenta occurrunt. Quum aliquis homo in servitutem vindicaretur : Scabini,... visi fuerunt iudicasse, ut supra noctes 40 cum 12 Francos, sex de parte paterna et sex de materna... iurare debuisset, ut de parte paterna aut de materna secundum legem Salicam ingenuus esse videretur (Lindenb., 169 = Roz., 483). Formulæ Senon. recent., 2, Zeumer, p. 212 = Roz., 479 ; 3 = Roz., 472; 5 = Roz., 480. *Obiter observandum est idem jus permansisse in rotulo potestatis S. Ursicini* (§ 27) *et in rotulo Fleckstein* (Trouillat, *Monuments de l'histoire de l'ancien évêché de Bâle,* V, p. 439, al. 6), *XV° sæculo exaratis.* Carta libertatis... ita liberi, quasi de... nobilissimis Alamannis sint geniti (Collect. Sangal., 16, Zeumer, p. 406. = Roz., 94). *Hæc Rhætica charta* : 851. Constat eos vendidere : in tale rationem, quod, si ipsa vendidere voluerit, non habeant licentiam nec ad Romanos nec ad Alæmannos (Wartmann, *Urkundenbuch der Abtei sanct Gallen,* II, 415). Cpr. : *Remedii Curiensis episcopi Capitula* (*M. G., L. L.,* V, p. 181). Ut nullus de *Romanis...,* qui ad domnum Remedium... pertinent, ausus sit unus alium occidere (p. 182, l. 24). Augiens, B, 37 (Zeumer, p. 361) = Roz., 351. 885. Signum manus Vizoni ex genere Alamannorum testis (*Hist. patr. monum.,* I, 41). 954. Testis... Etholinus *Francigena* (*Cluny,* I, 607). Zœpfl, *Alterthümer des deutschen Reichs und Rechts,* II, p. 299).

ederent (1), hisce plerumque verbis in Gallia adhibitis : *secundum legem meam illam, dono* (vel *vendo*, vel *trado*), iis autem in Italia usu receptis : *ego ille qui professus sum ex nacione mea lege vivere illa, dono* (vel *vendo*, etc.). Plerarumque quidem legum professiones occurrunt, videlicet multæ legis romanæ (2) et legis salicæ (3) longe lateque per Galliam et Italiam disseminatæ, paucæ vero juris Alamannorum in Alamannia, in Rhætia et in Italia (4), perpaucæ juris Franco-

(1) Gaupp, *Die Germanischen Ansiedlungen und Landtheilungen*, § 37, *Die stammrechte, Die professiones iuris*, p. 241, s..

(2) *Apud Sanctones :* L'abbé Grasilier, *Cartulaires de la Saintonge*, Chartularium Xanctonense, I, 140 (1010). *In pago Biturico : Cartulaire de Cormery* = Thévenin, 98 (865). *In pago Lemovicensi : Beaulieu*, 185 (823); 186 (865). *In Burgundia : Cluny*, I, 30 (887) = Thévenin, 110. *In pago Viennensi : Cluny*, I, 23 (880), 229 (922), 439 (935), 686 (946). 1034-1035. Taliter concedimus qualiter lex romana nostra obedire precipit (*Documents inédits publiés par l'Académie delphinale*, II, 1868. Appendice au cartulaire de Saint-Chaffre, 2, *charta pro monasterio Sancti Laurentii Gratianopolitani*). *In Provincia : Cluny*, I, 105 (909) = Thévenin, 177. *Saint-Victor de Marseille*, I, 26 (845) = Thévenin, 80. *Lérins*, 166 (1082), 168 (1095), 169 (1092). *In Italia superiori : Cluny*, IV, 3425 (1069), 3519 (1078), 3612 (1086), etc. *Hist. patr. monum.*, I.

(3) Append. ad Marc., 24, 49 = Roz., 55, 135. Lindenb., 75 = Roz., 228; Roz., 481. — *In pago Carnuteno :* Guérard, *Cartulaire de Saint-Père de Chartres*, 1, *Liber Gisberti abbatis*, 5 (ante a. 987). — *In Lotharingia : Histoire générale de Metz*, I, preuv., 70 = Thévenin, 132. — *In Burgundia, Lugdunensi, Viennensi : Notitia placiti a.* 819 *ex chartulario Patriciacensi*, 15 (Pérard, *Recueil de pièces servant à l'histoire de Bourgogne*, p. 34). *Saint-Vincent de Mâcon*, préface, p. 133. *Cluny*, I, 86 (904?), 88 (905) = Thévenin, 176; 90 (905) = Thévenin, 117; 191 (913), 358 (928) = Thévenin, 179. *Saint-Vincent de Mâcon*, 117 (x° sæc.). — *In pago Viennensi : Cluny*, I, 15 (870) = Thévenin, 102. — *In Provincia : Saint-Victor de Marseille*, I, 26 (845). — *In instrumentis Lemovicensibus, lex Salica non sæpe commemoratur* (*Beaulieu*, Introd., p. LXXXV). *In superiori Alamannia :* Neugart, 440 (866). Ochs, *Geschichte der Stadt Basel*, I, p. 161 (906). — *In Italia superiori : Cluny*, II, 1230 (967) = Thévenin, 136; IV, 3600 (1083), 3616 (1087), *Hist. patr. monum.*, I.

(4) *In Alamannia superiori :* Formulæ Augienses, coll. B, 24 = Roz., 235; 40 = Roz., 474. Formulæ Sangallenses miscellaneæ, 22 (Zeumer, p. 389) = Roz., 361, § 1. Collectio Sangallensis, carta libertatis, 16 = Roz., 94; carta dotis, 18 = Roz., 234. Addenda ad formul. Augiensium coll. B., libellum dotis, 46 (Zeumer, p. 725). 837. Quod si quis fecerit, multa componat, sicut in lege Alamannorum continetur (Neugart, I, 276). 547 (884). — *In Rhætia :* Wartmann, *Urkundenbuch der Abtei Sanct Gallen*, 415 (851). — *In Italia superiori : Hist. patr. monum.*, I, 41 (885). 1076. De civitate Cremona, quod professi sumus nos... lege vivere Alamannorum (*Cluny*, IV, 3489).

rum (1), aliquot legis Visigothorum in Narbonensi (2), rarissimæ in Burgundia legis Gundobadæ (3), permultæ in Italia legis Langobardorum (4).

Quod tamen populorum et legum discrimen, quamvis primo tempore maximum fuisse videatur, quicumque formulas et chartas attente perspiciet, fatebitur paulatim minutum, postremo exemptum fuisse. Deinde quum, susceptam explorationem peragens, videbit multas fuisse juris romani reliquias quæ e primo Barbarorum impetu ereptæ postea gradatim perierint, ac postremo, dum in septentrionalibus consuetudines aut omnino aut magna ex parte germanicæ pollerent, jus romanum in meridiana rejectum animadvertet, in summa res germanicas evaluisse judicabit.

1° Jus romanum et jus germanicum miscentur.

Ante omnia sciendum est, si rem altius repetimus, Romanos et Germanos non adeo fuisse dispares ut non ex eadem stirpe orti videantur, atque ut jus romanum, lege XII Tabularum potissimum observata, cum jure germanico non sæpis-

(1) 802. Trado ad monasterium s. Galli omnia quicquid mihi pater meus... *secundum sacrificium Francorum* dereliquid in hereditatem (Neugart, I, 147). — *In Italia :* Lœrsch und Schrœder, *Urkunden zur Geschichte des deutschen Privatrechts*, 1882, 68 = Thévenin, 105.

(2) 832. Notitia revestitoria... Sicut lex Gotorum continet (Dom Vaissette, II, 80). 852. Perquamsivimus in lege Gotorum, ubi apertius invenimus in libro octabo, titulo primo, era V, ubi dicit (139) = Thévenin, 88. 862. Sic perquisivimus in lege Cotorum in libro V, titulo IIII, era VIII (161) = Thévenin, 94. 185 (874) = Thévenin, 106. *Notitia judicati pro Ermengaudo, Episcopo Urgellensi*, a. 1024, *ex chartulario Ecclesiæ Urgellensis* (Baluzius, *Capitularia regum Francorum*, II, appendix actorum veterum, 145. *Nulla hujus legis mentio reperitur in instrumentis Lemovicensibus* (*Beaulieu, Introd.*, p. LXXXV). — *In eadem provincia quoddam jus Spanorum observabatur : Musée des archives départementales*, 1878, 5 (834) = Thévenin, 71. Dom Vaissette, II, 150 (858) = Thévenin, 93.

(3) *Cluny*, I, 189 (912). 1055. Qui professus sum ex nacione mea lege uiuere gundobada (*Hist. patr. monum.*, I, 344).

(4) *Cluny*, II, 1228 (967); IV, 3415 (1068). *Hist. patr. monum.*, I. *In nonnullis documentis lex personalis non designatur. Sponsalitium Viennense :* 944. Sicut *lex mea* commendet (*Cluny*, I, 659). 1046-1066. Nos volumus legem qua vivimus (*Lérins*, 192).

sime congruere animadvertamus (1). Etenim et Romanas et Germanas feminas in manu parentum, fratrum et virorum fuisse scimus, uxorem vero in manum mariti convenisse, facta venditione, uno quidem nummo Romæ novissimis temporibus (2), placito autem ac numerato pretio, vel apud Germanos (3), vel apud veteres Romanos. Deinceps ea erat dominii ratio, sive Romæ, sive in Germania ut, vivo etiam patrefamilias, liberi et agnati quodammodo domini esse viderentur (4), quo fiebat primum ut proximi heredes apud Germanos (5), liberi apud Romanos, bona defuncti non velut aliena, sed sua semperque a se possessa caperent (6), ac deinde ut nullus Germanus, sine suorum proximorum heredum consensu, prædium quoddam alienare posset (7). Hoc etiam Romanis Germanisque erat commune quod non tantum solennitates in pactis contrahendis adhibebant, sed etiam iisdem fere ritibus utebantur, nempe festuca (quæ pro dominii ex jure Quiritium signo habebatur), et imaginaria rei vindicatione, nam quod, more germanico, traditione *in mallo publico* fiebat, id Romani per *in jure cessionem* efficiebant (8). Denique, quod ad judicia attinet, reperimus vel apud Romanos, vel apud Germanos, et omnes actiones certis formulis adstrictas, et hoc jus datum ei quod scelus patravisset, ut, facta cum adversario compositione, pœ-

(1) Dareste, *Études d'histoire du droit*, p. 396, s.. Sumner-Maine, *L'ancien droit considéré dans ses rapports avec l'histoire de la société primitive* (trad. Courcelle-Seneuil, 1874).

(2) Coemptione in manum conveniunt per mancipationem, id est per quamdam imaginariam venditionem (Gaius, I, § 113).

(3) Ego ill. desponsavi secundum legem Salicam per 13 aureos nummos sponsam carissimam.... nomine ill., cum consensu parentum (*Formulæ extravag.*, I, 12, Zeumer, p. 541).

(4) L. 11, D., *De liber. et postum.*, XXVIII, 2. Schirmer, *Familienvermögen und Entwickelung des Notherbrechts bei den Römern* (*Zeitschrift der Savigny-Stiftung*, II, 1881, roman. Abtheilung, p. 165, s.).

(5) Heusler, *Institutionen des deutschen Privatrechts*, § 83, III, Erwerb der Gewere, b., II, p. 41.

(6) Dubois, *La saisine héréditaire en droit romain* (*Nouv. Revue histor. de droit*, 1880, p. 102, s., 427, s.). Gaius, II, § 58, III, § 201. L. 29, D., *De usurp.*, XLI, 3.

(7) Heusler, *Institut. des deutsch. Privatrechts*, § 89, B, Erbenlaub, II, p. 54, s.. *V. tamen :* Glasson, *Histoire des institutions de la France*, III, p. 192, s..

(8) *Supra*, p. 6, p. 17, n. 6.

nam effugeret, quod quidem jus apud Germanos late patens, exiguis finibus Romani circumscripserant (1). Quid plura? Erat igitur inter Romanorum et Germanorum instituta aliqua similitudo, quæ causa fuisse mihi videtur, plurimis porro aliis rebus in idem congruentibus, ut gentes ac leges diversæ paulatim miscerentur.

Hoc autem ordine eundum est ut videamus primum jus novum quum romanum, tum germanicum, de multis rebus fuisse constitutum; deinde Romanos quidem jure germanico, Germanos vero jure romano aliquando usos fuisse; denique, quum personalibus legibus pagorum consuetudines circa x^{um} sæculum successerunt, quasdam consuetudines exstitisse mixtas ex jure romano et ex jure germanico.

I. *Jus novum quum romanum tum germanicum constituitur.*

Quemadmodum ii qui Barbarorum et Romanorum legibus, everso Imperio, conditis studuerunt, plerasque, videlicet legem Ribuariam, leges Bajuvariorum, Visigothorum, Burgundionum et Langobardorum, Papianum et legem Curiensem, ex variis juris romani jurisque germanici institutis et vocabulis mixtas fuisse notaverunt (2), ita libros formularum si excuties, in iis utrumque jus haud proprium et sincerum, sed extranei juris

(1) Bethmann-Hollweg, *Der civilprozess des gemeinen Rechts*, IV, p. 460. Fustel de Coulanges, *Recherches sur quelques problèmes d'histoire*, 1885, p. 484. P. Fournier, *Le dernier livre de M. Fustel de Coulanges* (Extrait de la *Revue des questions historiques*, juillet 1886, p. 18). Dareste, *Troisième article sur les Recherches sur quelques problèmes d'histoire* (*Journal des Savants*, 1886, p. 728). Esmein, *Sur quelques lettres de Sidoine Apollinaire* (*Mélanges d'histoire du droit et de critique*, p. 360, s.). Fustel de Coulanges, *Histoire des institutions politiques de l'ancienne France*, p. 479. Beaudouin, *La participation des hommes libres au jugement*, p. 111, s., 58, s.

(2) Savigny, *Geschichte des rœmischen Rechts im Mittelalter*, cap. VII-X (II, 1834, p. 1-171), cap. XIV (p. 209, s.). Sohm, *Fränkisches Recht und Römisches Recht* (*Zeitschrift Savigny*, 1880, I, germ. Abtheil., p. 70, s.). Zeumer, *Præfat. ad formulas Turonenses*, p. 129. Brunner, *Deutsche Rechtsgeschichte*, I, p. 403, *de formulis Andegavensibus*. Beaudouin, *La participation des hommes libres au jugement*, p. 32, 113, 151. Del Giudice, *Le tracce di Diritto Romano nelle Leggi Longobarde*, 1887. Zeumer, *Ueber lex Romana Curiensis* (*Zeitschrift Savigny*, IX, 1888, german. Abtheil., p. 32, s.).

admixtione fuisse infectum intelliges. Primum enim tibi formularum secundum legem romanam codices, Andegavensem scilicet ac Turonensem, evolventi occurrent nonnullæ formulæ germanicæ: nempe propriæ libertatis venditio, epistola compositionalis, carta de societate inter virum et uxorem universorum bonorum quæ ex communi opera venirent, apennes Francorum more celebrati, notitiæ judiciorum, epistola sacramentalis quæ conscribebatur quum reus et ejus amici (*cojuratores*) jurejurando crimen purgarent (1). E diverso inter formulas salicas quosdam juris romani libellos reperies, verbi gratia, manumissiones, contractus per cartam, precarias, gesta (2).

Quod si singulas formulas inspicies, mirum tibi statim videbitur quod capita e legibus romanis prompta nonnullis chartis secundum leges germanicas præponebantur, commemorata legis Juliæ de maritandis ordinibus auctoritate in sponsalitio secundum legem salicam, adscriptis edictorum fragmentis, vel Honorii et Theodosii apenni more Francico constituto, vel Diocletiani commutationibus secundum legem salicam (3). Deinde, penitus in ipsas formulas ingressus rerum et verborum confusionem haud raram nec parvam invenies.

Nam primum hoc animadvertetur quod juris romani et juris germanici verba, sententiæ, pacta miris modis conjungebantur. Sic in carta ingenuitatis vel *triscabina* scribebatur libertinum civem romanum fieri, et, quandoquidem eo nomine omnino sui juris efficeretur, *mundeburdium*, id est *defensio* et clientela, *ubicumque vellet, eligere posse* (4). Ea vero lex in precariis aliquando dicebatur, ut qui rem sibi præstari rogavisset « ambasciis » (id est munus vel officium injunctum), fungeretur, ita ut precariæ quæ ex jure romano descenderat, pactum adji-

(1) Andegav., 2, vindicio qui se ipsum vindit; 10 a, iudicius; 12, solsadia; 15, sacramentalis; 31, 32, apennes; 59, etc. Turon., 16, epistola compositionalis; 28, apennis, etc.

(2) *V. formulas salicas : Bignonianas* (Zeumer, p. 229, 235), *Merkelianas* (p. 241, s.), *Lindenbrogianas* (p. 268, s.).

(3) *Cluny*, I, 86 (904?). Andegav., 32 = Roz., 407. Sirmond., 28 = Roz., 408. Zeumer, *præfat.*, p. 129. *Hist. patr. monum.*, I, 108 (956), 218 (1010).

(4) Mundeburde..., ubicumque elegere voluerint, licentiam habeant elegendi; cive Romana, portas apertas, eant pergantque partem quam voluerint ambulare (Lindenb., 20, Zeumer, p. 281 = Roz., 108).

ceretur quod videtur germanicum (1). Item maritus, interposita secundum legem romanam ante nuptias donatione, post nuptias dotalitium, ut apud Germanos assolebat, uxori constituebat (2). Denique, vel in formulis secundum legem barbaricam, juris romani verba adhibebantur, velut *dos*, id quidem erat sponsalitium (3), vel germanicis vocibus inter latinam orationem mixtis formularum secundum legem romanam scriptores utebantur. Sic, quum vel *hereditatem*, vel *prædium quod alicui successione obvenisset*, verbo *alode* appellari iis temporibus obtinuisset (4), nonnulli viri, facta donatione ante nuptias, *osculo intercedente*, mandato alligandi gestis muni-

(1) Quod si ullo unquam tempore huius cartulæ condicionem obliti, in quibuslibet ambastiis,... a vestris actoribus... fuerimus imperati (Bituric., 2 = Roz., 324). *Lex Salica*, 1 (Holder, p. 1, l. 9).

(2) 922. Dilecta... esponsa mea... ego esponsus tuus... Dono tibi in esponcalicio aliquid de res meas... (*prædium scilicet*)... totum et sub integro tercia porcione tibi dono, secundum mea lege Romana... cum istipulacione subnixa (*Cluny*, I, 229). 922, *eodem mense*. Dulcissima... conjux mea... ego... vir tuus... dono tibi in dotalicio de omnem rem facultatem meam, de quicquid visus sum abere... aut inantea conquirere potuero (230). 946. Dilecta... esponsa mea... ego... esponsus tuus... dono tibi in esponçalicio aliquit de res meas... (*prædium*) sicut lex romana commemorat (686). 946, *mense sequenti*. Dulcissima conjux mea... ego... vir tuus... dono tibi in dotalicio de quitquit ego visus sum abere au inanta conquirere vel laborare potuerimus... tercia parte (687). *Hæc, ut videtur, in civitate Viennensi acta sunt*. — Cpr. : 945. Dilecta... uxore mea... ego... vir tuus... de ipso curtilo tercia parte tibi dono ud facias ab odierno die quiquid volueris ; et dono tibi in dotalicio, sicut antiqua consuetudo legis commemorat... oc est tercia pars de omnia mea, de quiquit visus fui abere... tam de proprio quam de conquisita (668). *In instrumento insequenti dotalitium ante nuptias confectum sponsalitio jungitur :* 944. Dilecta... sponsa mea... ego... sponsus tuus, dono tibi in esponsalicio aliquid de ereditate mea... (*prædium*) quartam partem tibi dono ; et dono tibi in dotalicio tertiam partem de quicquid nos visi sumus abere vel acquirere poturimus ambo, et facias de ipsas res quid volueris sicut lex mea commendet (659).

(3) *Verbum latinum* interpellare *par germanico* admallare *in formulis secundum Barbarorum leges adhibitum fuisse* Fustel de Coulanges *commemorat* (*Histoire des institutions politiques de l'ancienne France*, I, p. 407).

(4) *De verbi* alodis *significatione, v.* Chénon, *Étude sur l'histoire des alleux en France*, 1888, introduction. *A IX° sæculo* alodis *appellatione prædium liberum et proprium significatur. Junge :* 1241. XXX scados vinearum libere proprietatis allodii et XXXVIII scados vinearum censualium (*Urkundenbuch der Stadt Basel*, I, 161). 1264. Allodium quod vulgari appellacione « eigen » nuncupatur (434).

cipalibus ipsi donationis cartæ adscripto, quid multa? observata per omnia lege romana, vel agros et supellectilem de *alode genitorum suorum* (1), vel quemdam *alodem* (2) uxoribus suis se dare dicebant (3).

Videamus nunc de solennitatibus quæ in conficiendis contractibus et *traditionibus* intercedebant.

Modo adhibitis in rebus germanicis juris romani solennitatibus, dotes a viris, sponsalium causa, pactæ ut mos erat apud Francos (4), *mergingivæ (morgengaben)* secundum legem Gundobadam (5), et dotalitia quibus mariti uxores tertia parte bonorum secundum legem salicam donabant (6), carta cum stipulatione subnixa secundum legem romanam fiebant. Simili ratione, maritus, condito ex jure Quiritium testamento, pro consuetudine germanica uxori tertiam partem eorum bonorum conferebat quæ, e communi opera, stante matrimonio, fuissent acquisita (7).

(1) Hæc omnia... tam de alodæ genetorem meorum quam et de adtracto... cædo tibi... Et ut mos et lex est, gestis municipalibus volo esse adlegati atque adfirmata, stipulatione adnixa (Bituric., 15 = Roz., 221).

(2) Placuit mihi, ante diem nuptiarum a die presente aliquid... concedere,... per hunc titulum huius osculi intercedentis... in pago Floriacensi... alodem meum... regnante Pipino rege (Formulæ extravag., I, 10, Zeumer, p. 539).

(3) *Verbum* admallare *reperitur in formula gestorum Andecavensi* (Zeumer, p. 4, l. 13 = Roz., 260).

(4) *Charta dotis quam Folradus* ex genere Francorum *constituit Helegrinæ sponsæ suæ*, a. 827, *ex Chartulario Monasterii Casauriensis* (Baluzius, *Capitularia*, II, append. actor. veter., 43).

(5) 912. Dilecta sponsa mea, parcione mea, secundum lege mea Gonbada in mergingiva ad integrum tibi dono ad abendum... cum stibulatione supnixa. Actum Crucilia, atrio Sancti Maria (*Cluny*, I, 189). Loysel, *Institutes coutumières*, 136 (édit. Dupin, I, p. 168).

(6) 928. Dulcissima... conjux mea... ego... vir tuus... de omnem rem facultatem meam... in dotalitio tercia porcione tibi dono, sicut lex Salica commemoret... cum stipulatione subnixa (*Cluny*, I, 358). *Deest stipulatio subnixa in multis cartis secundum legem Salicam.*

(7) Qualiter in unum volumine testamento persone condatur. — Quod pariter stante coniugio, adquæsivimus, prædicta coniux nostra tertia habere potuerat, propter ipsa vero tertia villas nuncupantes illas, in integritatæ, si nobis suprestis fuerit, in conpensatione recipiat (Marc., II, 17 = Lindenb., 71 = Roz., 129). — Cpr. Andec., 59 = Roz., 104. Si mulier virum supervixerit,... terciam de omne [re] quod simul conlaboraverit, sibi studiat evindicare (*Lex Ribuaria*, XXXVII, 2, *M. G., L. L.*, V, p. 232).

Modo diversis legibus institutæ solennitates simul observabantur. Nam ut francicæ et saxonicæ solennitates in Alemannia ad aliquam rem alienandam jungebantur (1), sic in Italia, interposita secundum legem romanam carta, et datis barbaro ritu arrhis *(launegild)*, donationes fieri consueverant (2). In Gallia autem, adhibitis uno eodemque puncto temporis carta, wadio vel festuca, et andelanco, mandata contrahebantur (3), vel puellæ a sponsis dotabantur (4). Imo, traditiones, quacumque ex causa intercederent, eisdem prope modis fieri solenne fuisse indicio sunt vel hæc charta qua aliquid monasterio Cluniacensi donabatur, his verbis concepta ; *per andelacum facta traditione, in conspectu altaris, fratribus cartam fieri compromisit* (5) vel omnes traditionum formulæ quæ inter Lindenbrogianas reperiuntur (6). Præterea, sæpe res ita agebatur ut, postquam venditio vel donatio, more romano, *per*

(1) 1027-1038. Fecit abnegationem comes... prædii... primo incurvatis digitis secundum morem Saxonicum. Isti sunt Saxones qui hoc viderunt et audierunt... Et deinde abnegationem fecit cum manu et festuca more Francorum. Isti sunt orientales Franci qui hoc viderunt... (Lœrsch und Schrœder, *Urkunden zur Geschichte des deutschen Privatrechts*, 83 = Thévenin, 148).

(2) Thévenin, 61 (780). Cf. *quamdam dotem* a. 1044 (morgengabe) *quæ una libello et solemnium verborum nuncupatione constituebatur :* In Dei nomine. Scriptum morgincap qualiter... dono... conjugi meæ... ut... post noctem nuptialem, qui est dies votorum nostrorum, ante parentes et amicos nostros ostendam hoc scriptum... et dicam : ECCE QUOD CONJUGI MEÆ IN MORGINCAP DEDI (*Ex chartulario monasterii Casauriensis*, Baluzius, *Capitularia*, II, app. act. vet., 147).

(3) Circa 840. Ego Heccardus, cogitans humanum casum fragilitatis meæ, ideo mihi visum fuit, ut res meas ... in manibus viris istis mea eleemosina commendassem, ... ut sicut per instrumenta kartarum vobis tradidi, et per quadium et andelangum, seu per istos breves commemoratum habeo (Pérard, *Recueil de pièces servant à l'histoire de Bourgogne*, p. 25 = Thévenin, 76). 842. Comendavit nobis suam elemosinam per suum andanlangum et per paginam testamenti sui (Dom Vaissette, II, 100). *Saint-Vincent de Mâcon*, Præf., p. 133.

(4) Apud... parentes nostros... convenit, ut ego tibi de solido et denario secundum legem Salicam desponsare deberem... Idcirco per hanc epistolam libellum dotis, sive per festucam atque per andelangum (Lindenb., 75 = Roz., 228).

(5) *Cluny*, I, 738 (949).

(6) Per cartolam, sive per fistucam atque per andelangum (Roz., 118, 133, 159, 172, 200, 201, 228, 242, 273, 331, § 1). Addit., 2 (Zeumer, p. 283). — Form. S. Emmerami, 16 (Zeumer, p. 466).

cartam facta fuisset, fundi vacua possessio, vel *per andelancum*, vel *in mallo comitis*, vel *per portas* et *per ostia* traderetur (1), nedum *introductio locorum* secundum legem romanam celebraretur.

Modo immutatis romanis solennitatibus quasi adtextum aliquid germanici videtur. Sic, velut festuca aut wadium, more Germanorum, rite tradebatur, ita, wadii vice, carta tradebatur (2), nec secus atque emptor wadium in mallo accipiebat, is incesserat mos ut carta in cœtu judiciario et conscriberetur et emptori traderetur (3). Denique, sicut Germanorum consuetudo erat, quum de fundo alienando ageretur, cultellum, aut festucam, aut wasonem in terram deponi, deinde solenniter levari, more fuit receptum, quando res carta abalienaretur, cartam humi positam *levari* (4), scribi, stipulatione et auctoris et

(1) 905. Carta. Domino fratribus Stephano et uxore... hemtores, ego... Azo et uxor... venditores vendimus... secundum legem nostram salicam... cum stipulatione subnixa. Noticia seu wirpituria qualiter veniens at Matisconum civitate, ante Leutaldo comite, necnon et aliis bonis ominibus... Azo et revestivit Stephano... per suum andelangum, secundum legem salicam (*Cluny*, I, 90 = Thévenin, 117). *Notitia* tradetoria de terra... Terra illa... quem ante os dies hominem alico, nomine illo, per vindictionis titulum visus fuit vendidisset,... per suum fistucum exitum fecit (Roz., 286 = Thévenin, 29). Additam. collect. Flavin., 2, 6 (Zeumer, p. 489). *Item :* Ineunte x° sæculo? Ego Altasia et filii mei... res nostras sicut michi obvenerunt... in sponsalitio de parte senioris mei Humberti,... tibi vendimus secundum legem salicam... et tibi werpitionem facimus (*Saint-Vincent de Mâcon*, 117). Cpr. Præfat., p. 132.

(2) 813. Ipsa mihi ipsas scripturas, pro suo guadio, coram bonis hominibus tradidit (*Cartulaire de l'abbaye d'Aniane*, Dom Vaissette, II, 22). Heusler, *Institutionen des deutschen Privatrechts*, I, § 18, festuca (wadia) und arrha (p. 76, s.).

(3) Si quis alteri aliquid vinderit et emptor testamentum vindicionis accipere voluerit, in mallo hoc facere voluerit, precium in præsente tradat, et rem accipiat et testamentum publici conscribatur (*Lex Ribuaria*, LIX, 1, *M. G., L. L.*, V, p. 247, s.).

(4) Brunner, *Deutsche Rechtsgesch.*, I, p. 397. *In Burgundia Transjurana :* Neugart, I, 148 (803), 200 (819). 889. Acta et levata in pago Munteriheshuntere (Munderkingen ad Danubium) in villa Diethereskiriha, firmata et perpetrata in pago Eritgewe, in loco qui dicitur Pusso (585). II, 821 (1036). *Cluny*, IV, 3450 (1072-1073). Zeumer, *Cartam levare* (*Zeitschrift Savigny*, IV, 1883, germ. Abtheil., p. 113, s.). *Cartas adhuc* xiii° *sæculo levari solitum e permultis instrumentis a notariis Vallensibus conscriptis apparet* (L'abbé Gremaud, *Documents inédits pour servir à l'histoire du Vallais*, I, 455, 1241), Petrus capellanus de Laques qui hanc cartam leuauit uice Jacobi cantoris et cancel-

testium subscriptionibus firmari, a tabellione (in Italia quidem) compleri et absolvi, atque etiam illa in mallo publico nonnunquam fieri (1).

Sed, antequam hunc de negotiis solennibus locum concludamus, admonendi sumus ne conventionum quidem et traditionum exempla deesse, quas, licet, quod ad clausulas contractus attineret, secundum legem romanam fierent, si adjectas solennitates intuemur, barbarica solennitate fuisse actas videmus. Exemplo sunt italicæ venditiones quæ mancipatione quidem et stipulationis clausulis, legibus de præstanda evictione ad exemplum romanarum formularum scriptis, et dupli pretii stipulationibus constabant, adhibitis vero cultello, festuca, wantone, wasone terræ, ramo arboris, perficiebantur (2).

larii Sedunensis uice cujus ego Willermus notarius eam scripsi; 483 (1245), *etc.* — *In Italia :* 899. Cum stipulacione subnixsa et bergamina cum agramentario de terra elleuani germanus notarius (*Hist. patr. monum.*, I, 55). *Cartularium Langobardicum*, 2, 8 (*M. G., L. L.*, IV, 595, 1, 596, 2 = Thévenin, 52, 50), *sunt sexcenta documenta.* — *In Lotharingia.* 957. Ego... cogitavi ut aliquid... ad partem sanctæ Gorziensis congregationis darem. Deprecatus sum insuper, ut huius facti scriptum in pleno mallo levaretur et a comite, scabinis... firmaretur (*Histoire générale de Metz*, I, preuves, 70 = Thévenin, 132). *Forsitan in diœcesi Lugiensi :* 789? Actum Pesco villa puplica ubi fuit levata (Bordier, *Deux chartes inédites, Bibliothèque de l'École des Chartes*, VII, 1845-1846, p. 76).

(1) *Aliquando autem charta ponebatur super altare sancti cui res dabatur, vel auctoris et testium manu tacta confirmabatur.* 1049-1109. Cartam, ut stabilior esset, manu sua super altare sancti Petri posuit (*Cluny*, IV, 3, 238). De Courson, *Cartulaire de Saint-Sauveur de Redon*, prolég., p. 246. 867. Posuerunt hanc donationem super altare Sancto Salvatori, per cartam et cespitem de ipsa terra (*Redon*, 142). 866. Per hanc epistolam donamus... Postea venerunt ad monasterium, et posuerunt cespitem super altare (99). 1076. S. (*auctoris*) qui ad confirmandum manum posuit (*Cluny*, IV, 3494). 817. *Traditio Ysinboldi pro monasterio Sancti Galli :* Sig. *Oherii* (*abbatis*) qui eam sua manu accepit (Neugart, I, 192). 927-942. Testes... manu tactu firmaverunt (*Cluny*, I, 338).

(2) 1059. Qui profeso sum ex nacione mea legem uiuere salicha... uendo, trado et mancipo nulli alii uenditis, donatis, alienatis, opnosiatis, uel traditis, nisi tibi, insuper per cutellum, fistucum notatum, uuantonem, seu uuasonem terre, ramum arboris, tibi exinde legiptimam facio tradicionem uestituram et me exinde foris expullit, uuarpiurit et asasito fecit tibi,... permaneadque persistat inconvulsa stipulacione supnixa... ab homni omine sit defensatis, quot sic defendere non potuerimus aut sit uobis exinde aliquot per couis ienium supradere (subtrahere) quesierimus tunc in duplum eadem uendicio, ut supra legitur, uobis restituamus sicut pro tempore fuerint melioratis aut ualuerint sup exstimacione in consimilibus locos (*Hist. patr. monum.*, I, 349). 170 (991).

II. *Romani jure germanico, Barbari jure romano utuntur.*

Hic forsitan operæ pretium erit commemorare quæ personæ lege romana viverent, seu, ut illud IX[1] sæculi chartæ verbum usurpemus, « qui sub vinculo legis romanæ consisterent (1). » Romani vero aut nascebantur aut fiebant. Liberi autem, ex connubio procreati, patrem sequebantur, non interveniente matrimonio, legi matris accedebant (2), quod jam veteribus Romanis placuerat. Id vero jure germanico inductum fuisse puto ut uxor mariti conditione uteretur (3), nam olim quæ Latina vel peregrina Romano nubebat non fiebat civis romana, rursus ea manente cive Romana quam peregrinus vel Latinus uxorem ducebat. Deinde, etsi Ecclesia lege romana vivebat (4), clericus quisque legem suorum parentum, verbi gratia, legem salicam vel Langobardorum, profitebatur (5). Inter libertos vero ii lege romana usi fuisse videntur, qui secundum legem romanam per cartam vel in ecclesiis manumittebantur, sive quod cives Romani manumissione fiebant (6), sive quia iis ita libertas dabatur ut in defensionem et clientelam ecclesiæ recepti, *homines ecclesiastici* nominarentur (7).

(1) 823. Legum auctoritas... monet qualiter homines cuncti sub vinculo Romanæ legis consistentes ex propriis rebus facere quicquid voluerint licentiam habeant (*Beaulieu*, 185, 823; 186, 865).

(2) Brunner, *Deutsche Rechtsgesch.*, I, p. 268.

(3) 988. Qui professa sum ego ipsa Ermengarda cometissa ex nacione mea legem vivere Solicha, set nunc pro ipso viro meo legem vivere videor Langobardorum (Ficker, *Urkunden zur Reichs-und-Rechtsgeschichte Italiens*, IV, 1874, 34 = Thévenin, 143).

(4) Secundum legem Romanam quam ecclesia vivit (*Lex Ribuaria*, LVIII, 1, *M. G., L. L.*, V, p. 242, p. 230, n. 74).

(5) Lœning, *Geschichte des deutschen Kirchenrechtes*, II, p. 296, s.. Waitz, *Deutsche Verfassungsgeschichte*, II, 1882, p. 113, n. 3. *Lex Ribuaria* vulgata, XXXVII, 5 (*M. G., L. L.*, V, p. 230, B). 967. Ego Adelgisus, *presbiter*,... qui professo sum ex nacione mea *legem vivere Langobardorum* (*Cluny*, II, 1229). 1028. Nos Adelricus... *episcopus*... qui professi sumus omnes lege uiuere salicha (*Hist. patr. monum.*, I, 273).

(6) Bituric., 9 = Roz., 62. Arvern., 3 = Roz., 64. Turon., 12 = Roz., 65. Vatic., Roz., 72, 85. Augiensis, B, 42 = Roz., 87. Sangal., 6 = Roz., 88. Guérard, *Polyptyque de l'abbé Irminon*, I, prolég., p. 372.

(7) *De tabulariis seu hominibus ecclesiasticis*, Guérard, *Polyptyque d'Irmi-*

Ceteri sub germanicis legibus vivebant, nec inter proceres ullus erat qui legem romanam profiteretur. Reges ipsi lege salica utebantur. Quocirca, si veterrimo auctori credimus, rex Clodovechus Clothildim per solidum et denarium sibi desponderat (1), nec ob aliam causam manumissiones *regales*, id est per denarium ante regem, secundum legem salicam fieri dicebantur et libertum Saliorum numero constituebant (2). Regum instar nobilis quisque, comes, aut marchio, vassus aut ministerialis, legem Francorum aut præcipue legem salicam sibi vindicabat, velut magna comitissa Mathildis quæ se lege salica vivere profitebatur (3).

non, I, prolég., p. 368, s.. Fustel de Coulanges, *La monarchie franque*, p. 588, s.. Glasson, *Histoire du droit et des institutions de la France*, II, 1888, p. 574, s.. *Lex Ribuaria*, X, 1 (*M. G., L. L.*, V, p. 216, n. 11); LVIII (p. 243, n. 11). Defensionem ecclesiæ illius et vitam semper ducas ingenuam (Marc., II, 34 = Roz., 93 = Thévenin, 20). Baluz. min., Roz., 64 = Thévenin, 11. Append. Marc., Roz., 63 = Thévenin, 34. Pérard, *Recueil de pièces servant à l'histoire de Bourgogne*, p. 57, 58 (888) = Thévenin, 112.

(1) Legati (Chlodovei) offerentes solidum et denarium, ut mos erat Francorum, eam partibus Chlodovei sponsant (*Historiæ Francorum epitome*, 18). Cf. Grégoire de Tours, *Histoire des Francs* (H. Omont) *in Collection des textes pour servir à l'étude et à l'enseignement de l'histoire*, p. 57.

(2) *Præceptum Ludovici Pii* (Formul. Imper., 34, Zeumer, p. 312 = Roz., 285). 866. Hludowicus rex... Nos vero manu propria nostra excutientes a manu supra scripti Erchanpoldi denarium, secundum legem salicam eum liberum dimisimus (Neugart, I, 440). 906. Ludovicus... Rex... per excussionem denarii de manu illius, juxta legem Salicam... liberum dimisimus (Ochs, *Geschichte der Stadt Basel*, I, p. 161).

(3) 872. Ego Sisenandus ex genere Francorum... missus Supponis comitis... Signum manus Dagiberti ex genere Francorum, vasallo Aderaldi, testis. S. ... Ischerio ex genere Francorum, vasallo Wichodi episcopi testis. S. ... Juneradi, ex genere Francorum, vassallo ipsius domni imperatoris, testis. S. ... Lampaldi ex genere Francorum, vassallo Wichodi episcopi, testis. S. ...Wilari, vassallo Andræi episcopi testis. S. ... Richardi ex genere Francorum, vassallo Andræi vocati episcopi, testis (Lœrsch und Schrœder, *Urkunden zur Geschichte des deutschen Privatrechts*, 68 = Thévenin, 105, *charta italica*). *Charta Metensis apud Thévenin*, 132 (957), *ex qua fideles Raginbaldi donatoris lege Salica vixisse colligitur. Charta comitissæ Eldegardis uxoris Waleranni comitis pagi Vulcassini pro ecclesia Sancti Petri Carnuteni.* Ante 987. Consentiente Walterio comite filio meo, cedo alodum... quem senior meus... secundum legem Salicam et secundum consuetudinem qua viri proprias uxores dotant, michi in proprium concessit (Guérard, *Cartulaire de Saint-Père de Chartres*, I, *Liber Gisberti*, 5). Thévenin, 143 (988). 1043. Henricus marchio... et Adelana comitissa qui professi sumus nos ex natione nostra

Quamvis vero homines inter diversas nationes et leges distributi viderentur, nonnunquam eveniebat ut aliquis sua lege ereptus alienam legem sequeretur. Quod factum fuisse non solum aliquot legum loci ostendunt, ut illa antiquissimi legis salicæ codicis sententia, ex qua suspicari licet Romanos, quod ad probationem attineret, jure salico uti debuisse (1), verum etiam nonnulla exempla quæ e formulis et chartis deprompta subjunxi. Videmus enim ex una parte inter Romanos, alios in servitutem sese venumdare (2), equidem morem germanicum adsciscendo, nam Romæ vulgo dicebatur libertatem rem esse inæstimabilem et extra commercium, alios uxoribus dotem afferre (3), vel, adhibitis cojuratoribus qui in eorum verba jurarent, sacramento sese purgare criminibus (4). Videmus etiam raptorem et raptam mulierem, ambos ex genere romano, a comite capite damnatos secundum legem romanam, intervenientibus bonis hominibus, mortem, facta secundum consuetudinem Barbarorum compositione, redimere (5). Ex altera parte animadvertimus Germanos sese ad legem et mores Romanorum contulisse. Hic enim Salius occurrit qui, dum eam gentis suæ consuetudinem contemnebat et « impiam » increpa-

lege uiuere salicha (*Hist. patr. monum.*, I, 322), 375 (1072), 379 (1074). 1088. Signum manum domini Frederici comitis (de Mousson-Montbéliard)... *lege viventes salica* (Augustæ Taurinorum. Viellard, *Documents pour servir à l'histoire du territoire de Belfort*, 92). *Charta comitissæ Mathildis pro ecclesia Verodunensi :* 1107. Ego Mathildis, comitissa et ducatrix, et filia quondam Bonifacii, qui fuit similiter dux et marchio, que professa sum lege vivere salica (*Saint-Père de Chartres*, I, Prolég., p. XCVIII, n. 4). — *V. tamen* Fustel de Coulanges, *De l'analyse des textes historiques* (*Revue des quest. hist.*, XLI, p. 13).

(1) Brunner, *Deutsche Rechtsgesch.*, I, p. 260.

(2) 887. Corrigiam ad collum meum misi et manibus in potestate Alariado vel ad uxore sua Ermengart, ad integrum estatum suum, secundum lege romana se tradidit, quod insertum est « quod omo bene ingenuus estatum suum meliorare et pegiorare potes » (*Cluny*, I, 30).

(3) Padelletti, *Fontes iuris italici medii ævi*, I, 1877, Cartularium, 1, traditio donationis propter nuptias (morgincap, p. 471).

(4) *Lex Salica*, 14 (Holder, p. 8). *Lex Ribuaria*, LXVI, 2 (*M. G., L. L.*, V, p. 255).

(5) Sirmond., 31 = Roz., 491, § 2. Dederunt judicium ut secundum legem Romanam... vitæ periculum incurrissent. Sed... convenit ut... pro redemptione vitæ eorum wadios suos... unusquis pro solidos tantos dare deberent (Sirmond., 32 = Roz., 465). Cpr. : 16 = Roz., 241. Glasson, *Histoire du droit et des institutions de la France*, III, p. 533, s..

bat, qua cavebatur ne filia in terram paternam succederet, emendata illa juris iniquitate, filiam in æqualem alodum partitionem cum filio vocabat (1). Illis vero *traditionibus* Salii et Langobardi utebantur, quas germanicis quidem ritibus vestitas ex juris romani pactis et legibus constare paulo ante diximus.

Multæ præterea sunt formulæ quas secundum legem romanam scriptas Romani et Germani communiter adhibuisse videntur, stipulationes scilicet, quædam manumissiones, servorum venditiones, cautiones, mandata (2). Quod etiam de illo novo jure nobis dicendum est quod ex romano et germanico mixtum illis temporibus fuisse constitutum modo demonstrabam (3). Duos enim e Romanis non omittam, primum quemdam Constantium, ditissimum civem urbis Viennensis, ut videtur, qui ea liberalitate utebatur, ut, facta more romano ante nuptias donatione, dotalitium germanicum insuper constitueret; deinde aliquem civem Turvisianum qui, postquam filiæ per cartam donavisset, *launegild* accipiebat, *quamvis Romanæ legis subjectus*, ut ea solennitate donatio firmaretur (4). Hoc etiam communi jure Germani et Romani utebantur ut mixtas solennitates in transferendo rerum dominio adhiberent, Romani quidem *cartam* simul et *wadiam* (5), Salii autem andelancum et cartam, subnixa stipulatione (6).

(1) Diuturna sed impia inter nos consuetudo tenetur, ut de terra paterna sorores cum fratribus porcionem non habeant (Marc, II, 12 = Roz., 136 = Thévenin, 14). Cartæ Senon., 42 = Lindenb., 62 = Roz., 137. *Lex Salica*, 59 (Holder, p. 73).

(2) Zeumer, p. 575.

(3) *Cluny*, I, 229, 230 (922).

(4) 780. Dulcissima... filia mea ego Felex... genitur et donatur tuus presens presentibus dixi... per hunc presentem pagine texto do, dono atque cedo suprascripte filie mee... Et accepi ad te... filia mea launigild, quanquam Romane legibus subiectus, set facetergio uno, quatinus hanc mea donatio ut super legitur tibi et tuis heredibus firma permaneat (Kohler, *Beiträge zur Germanischen Privatrechts Geschichte*, 1883, II, 2 = Thévenin, 61).

(5) Brunner, *Deutsche Rechtsgesch.*, I, p. 257.

(6) *Cluny*, I, 191 (913). 882. Sacrosanctæ Ecclesiæ Sancti Stephani, quæ est constructa in Diuione, et Ergaudo præposito,... ego... Aroardus, et vxor sua Fushildis, propter Leodo componendo de Archenrado seruo Sancti Stephani, donamus ad ipsa casa pratum... Et hæc Epistola omni tempore firma et stabilis permaneat, stipulatione subnixa... Signum Aroardus et Fulchidis, qui ad ipsa casa Dei pro Vuadio et Vuasono, et pro ipsa epistola tradiderunt. De

Nunc autem si quæremus unde effectum sit ut quisque peregrini juris subsidium expostularet, multiplex causa reperietur. Nam primum ex iis quæ de scripturæ solennitate et de æquali patriæ hereditatis divisione jam proposuimus, satis manifestum est jus romanum multis Germanis adeo eximium visum fuisse, ut illud propriis legibus anteponerent.

Ceterum Romanos se ad leges et mores Germanorum inclinavisse non est quod miremur, quum gravissimis argumentis collectum sit, illos, abdicatis quæ ab avis accepissent nominibus, germanica nomina adsumpsisse (1). Denique hæc causa fuit, ni fallor, quod sæpissime res inter Romanos et Germanos agebatur. Etenim quum ii, necessitudinibus mutuis juncti, aliqua vitæ consuetudine atque societate inter semetipsos jamdiu uterentur, tum romanæ, tum germanicæ leges de connubio et de commercio caverant, sive ut ea denegarent, quale illud edictum quod in Breviarium receptum est, quo Valentinianus sanxerat ne connubium Romanis cum Barbaris esset (2),

Ergaudo vel Dauido manu vestita fecerunt, et qualiter illorum lex fuit, per pilos vel festucas vuirpauerunt (Pérard, *Recueil de pièces servant à l'histoire de Bourgogne*, p. 57).

(1) *De temporibus merovingicis :* Fustel de Coulanges, *De l'analyse des textes historiques* (*Revue des questions historiques*, XLI, 1887, p. 12-15). *Contra :* Monod, *Les aventures de Sichaire* (*Revue historique*, 1886, II, p. 266). — *Quod ad proxima sæcula pertinet :* 1° *In Gallia :* 918. Donadeus, Bellus, Amelius, Adalbertus, Jodolenus, Donatus, Rumaldus, item Donatus judices Romanorum (Thévenin, 123). Volfledus *et uxor sua* Teudrada *servum manumittunt per cartam stipulatione subnixa*, sicut, *aiunt*, lex nostra est (Pérard, *Recueil de pièces servant à l'histoire de Bourgogne*, p. 58, 888). Statevertus *cum uxore* Goda *dat vineam :* preter quarta falcidia nobis reservamus (*Saint-Vincent de Mâcon*, 295, 888-898). Fulcherius (*Cluny*, I, 105, 909), Rainulfus (686, 946) *Romani sunt.* 952. Ipsa legitime secundum legem Romanam in coniugio adquisiuit, de Archemrado videlicet seniore suo (Pérard, p. 64), *id est dotalitio, hoc autem secundum legem auctoris constitui solere notum est.* — 2° *In Alemannia.* Neugart, I, 705 (920). 3° *In Italia Romani hisce nominibus utebantur :* Aribertus, Raghembertus, Odholbertus (*Hist. patr. monum.*, I, 90, 943), Gausfredus, Teuderulfus (106, 955), Teuzo, Gumbertus (218, 1010). — *Pauci vero Germani romana nomina habebant. Burgundio quidam nominabatur* Constantinus (344, 1055).

(2) Nullus Romanorum barbaram... uxorem habere præsumat, neque barbarorum coniugiis mulieres Romanæ in matrimonio coniungantur. Quodsi fecerint, noverint se capitali sententiæ subiacere (L. 1, C. Th., *De nupt. gent.*, II, 14, interpret., Hænel, p. 92). Glasson, *Histoire du droit et des institutions de la France*, II, § 45, Barbares et Romains, p. 513, s..

sive, mitigatis animis (1), nec jam connubio et commercio negatis, ut constituerent qua ratione res ageretur.

Nonnulla vero exempla sunt quibus demonstretur his legibus quandoque factum fuisse ut quisque jure alienigeno uteretur. Nam lex Gundobada, de iis pactis quæ inter Burgundiones et Romanos interponerentur, cavebat in hæc verba : *judices secundum leges nostras judicare debent* (2), quo etiam jure usos fuisse Langobardos et veteres Visigothos verisimile est, ita ut, ad pacta quod attineret, Romani legi germanicæ parerent. Id vero *edictus* Langobardorum præceperat ut Romanus qui Langobardam uxorem duceret, mundium emeret (3). Lex autem Ribuaria, quum Ribuarius ita servum manumittere vellet ut fieret *homo ecclesiasticus* (quem lege romana vivere diximus), manumissionem in ecclesiis secundum legem Constantini procedere jubebat (4). Quæ quum ita sint, nonne mixtam e romanis et barbaris elementis solennitatem, verbi gratia, adhibitæ

(1) *V. tamen hoc Theotonicæ superbiæ testimonium*. Liutprandi legatio ad Nicephorum Phocam : « quos (Romanos) nos, Langobardi scilicet, Saxones, Franci, Lotharingi, Bagoarii, Suevi, Burgundiones, tanto dedignamur, ut inimico nostro commoti nil aliud contumeliarum nisi « Romane! » dicamus, hoc solo nomine quidquid ignobilitatis, quidquid timiditatis, quidquid avaritiæ, quidquid luxuriæ, quidquid mendacii, immo quidquid vitiorum est comprehendentes » (G. Paris, *Romani, Romania*, I, 1872, p. 5, s.).

(2) Brunner, *Deutsche Rechtsgesch.*, I, p. 260. Contra : *Lex Ribuaria*, XXXI, 3, 4 (*M. G., L. L.*, V, p. 224).

(3) *Edictus Langobardorum* (*M. G., L. L.*, IV, 127, p. 160). Petre, te appellat Maria cum Dominico suo tutore, quod tu tenes sibi malo ordine terram in tali loco. — *Petrus :* Mea propria est per cartulam venditionis, quam tu michi fecisti cum marito tuo, qui est mortuus, et ecce cartula. — *Maria :* Ipsa cartula non michi nocet, quia eram Longobarda; non potui facere sine parentibus. — *Petrus :* Maritus tuus fuit Romanus et fecit mundium de te. — Aut probet ipse qui habet cartulam, quod maritus fecit mundium, aut fiat vacua (*M. G., L. L.*, IV, p. 461 = Thévenin, 47). *Diaconus quidam nomine Abo vivens lege Romana mundium de cognata sua Ferlinde cuidam Richardo vendit* (Zœpfl, *Alterthümer des deutschen Reichs und Rechts*, II, p. 348, n. 2). Gaupp, *Die Germanischen Ansiedlungen*, § 31, ueber das connubium zwischen Germanen und Römer, p. 206, s.

(4) Hoc etiam iubemus ut qualiscumque Francus Ribuarius... servum suum... secundum legem Romanam liberare voluerit, ut [eum] in ecclesia coram... cuncto clero et plebe, in manu episcopi servo cum tabulas tradat,... et tam ipse quam et omnis procreatio eius liberi permaneant, et sub tuacione ecclesiæ consistant, vel omnem redditum status aut servitium tabularii eorum ecclesiæ reddant (*Lex Ribuaria*, LVIII, 1, *M. G., L. L.*, V, p. 242, s.).

cartæ adjunctam festucæ traditionem locum habuisse concludendum est, quando negotium inter Romanum et Germanum ageretur. Quadam enim ratione posset dici : quum pactum, velut venditio, inter Romanos per cartam secundum legem romanam fieret, inter Germanos vero, per festucam (ut eo exemplo utar), secundum legem barbaricam, quomodo hoc fieri posse ut, intercedente pacto inter homines qui diversis legibus viverent, cujusque lex observaretur, nisi junctis juris romani jurisque germanici solennitatibus, quemadmodum si αναλογίαν sequi liceret, ortas inter Romanos et Germanos lites, scabini e cujusdam litigatoris natione sumpti dirimerent?

Quæ tamen sententia, etsi prima fonte probabilis videatur, multum abest ut sit vera, repugnantibus nonnullis formulis et instrumentis ex quibus mihi potius colligendum videtur pacta in duo genera esse diducenda.

1° Nam vel alter rem tradebat, alter accipiebat, quod fit in emptione venditione, tum qui rem tradebat, cartam fieri rogabat (et ideo *auctor* cartæ nominabatur). Negotium autem secundum legem *auctoris* agebatur, quod ex his verbis patet, quibus cartarum auctores uti solebant : *vendo, dono secundum legem romanam*, nempe adhibita carta, vel : *vendo per andelanc, esponso solido et denario secundum legem meam salicam*, nec est dubium quin minime esset quærendum qua lege emptor viveret.

2° Vel, quod in commutationibus evenit, uterque, pari persona fungendo, et rem aliquam tradebat, et auctor cartæ fiebat (1). Quapropter, omissa epistolari forma qua in cartis scribendis uti mos erat, et carta ad effigiem notitiæ formata (eo tamen excepto quod stipulationis clausula instrumento subjiciebatur), atque his verbis concepta : *placuit atque convenit inter illum et illum ut inter se commutare deberent. Primitus dat ille. Pari modo dat ille*, scriptor cartæ se rogatum esse ab illo non jam dicebat, sed tantum *rogatus scripsi*, quia ab utroque rogabatur; clausula vero stipulationis paulo mutabatur, quæ, quum olim apud Romanos in commutationibus stipulationes ultro citroque intercederent, cartæ adscribebatur

(1) Quotiescumque inite fuerint epistole comutationis,... auctoritate scripture pariter comutentur (*Saint-André-le-Bas*, 133). *Cluny*, I, 249 (925). *Actum Viennæ, ut videtur.*

in hunc modum : *pari stipulatione subnixa* (1). Quum igitur exacta æqualitas inter permutantes observaretur, quando alter lege romana, alter lege barbara vivebat, utriusque legis solennitates simul adhibendas fuisse mihi videtur.

III. *Pagorum consuetudines ex jure romano et ex jure germanico mixtæ.*

Antequam de rerum romanarum et germanicarum admixtione dicendi finem faciam, perpauca de iis consuetudinibus addenda sunt, quæ ex jure romano et ex jure barbarico mixtæ in quibusdam pagis obtinuerunt. Earum vero consuetudinum, antiquissimarum quidem, notitiam e scriptis consuetudinibus non hauriendam esse arbitror, quibus iidem pagis aliquot post sæculis usi fuerint, non solum quoniam hæ consuetudines temporibus valde inferioribus scriptæ sunt, sed etiam quia forsitan evenerat ut jus romanum, quod a XIII° sæculo ad XV^{um} sæculum per Galliam ac Germaniam late vulgatum fuisse constat, in consuetudinem paulo antea penetraret quam ea scriberetur (2). Illæ vero consuetudines quæ a X° sæculo ad XII^{um} vigebant quales essent, e formulis nostris paululum eo conjectare licet quia jus quod multæ cartæ eodem tempore, in eadem regione conscriptæ, in se habent, consuetudine pagi comprobatum videtur.

Qua ratione si utimur, inter instituta nec omnino romana, nec omnino germanica, quæ e diversarum gentium et legum conjunctione orta fuerant, nonnulla exstitisse facile perspicimus, quæ in consuetudines pagorum fuerint recepta. Sic erat hoc in Burgundiæ transjuranæ consuetudine positum ut contractus « carta levata » perficerentur. Rursus mos erat Burgundiæ transjuranæ uxores et ante nuptias donationes et post nuptias dotalitia a viris accipere, apud Genevenses autem (XIII° adhuc sæculo), apud Burgundios et Lemovices (ut alios omittam), possessionem rei per cartam alienatæ adhibita festuca tradere (3).

(1) 925. Presens commutatio ista firma permaneat, pari stipulatione subnixa *Cluny*, I, 249).

(2) Viollet, *Les Établissements de Saint Louis*, I, p. 107, 158.

(3) *Beaulieu*, Introd., p. 92. 1263. Inuestiuit per baculi traditionem (Mallet,

Denique Turonorum et Andecavorum civitates simul annua possessione, more germanico (*rechte gewere*), et præscriptione secundum legem romanam utebantur (1).

Non ultra progrediar, cæterum ex iis quæ proposui illud deducturus, ut nulla quidem diversis nationibus communis lex ea ætate viguerit, animi vero, mixtis paulatim Romanis et Germanis commercio connubioque, ad faciendam legis communitatem inclinarent. Quod jam in ipsis legibus deprehendi licet, haustis e fonte prope communi Breviario et lege romana Burgundionum, repetitis vero a romana lege multis Barbarorum legum præceptis, denique inter ipsas Barbarorum leges, iis quæ posterius latæ sunt, priores imitatis, ita ut omnium germanicarum legum tres admodum fontes fuisse videantur, nempe jus salicum, jus ripuarium, jus visigothicum. Interim mores et usus, qui, quum tacito consensu populorum inducantur, plus quam scriptæ leges sæpissime pollere notum est, id effecisse ut Romani et Barbari, præsertim quod ad commercium attineret, eodem jure uterentur, collectis plurimis formularum et chartarum locis, demonstrare studui (2). Dum vero et leges et usus eo pertinebant ut juris diversitas tolleretur, summi viri, videlicet primum Carolus Magnus (3), deinde, regnante Ludovico Pio, Agobardus, episcopus Lugdunensis, id animo jam proposuerant, quod tantummodo decem post sæculis ad effectum fuit adductum, nempe ut in Imperio Francorum, *una omnes regerentur lege* (4).

2° Jus romanum paulatim ereptum.

Vix opus est hoc memorare quod docti viri demonstraverunt, Galliam romanam scilicet et Galliam merovingicam,

Chartes inédites relatives à l'histoire du diocèse de Genève, 74; 123, 1270; 133, 1272).

(1) Turon., 40 = Roz., 484. Viollet, *Les Établissements de Saint Louis*, I, p. 110, s..

(2) Brunner, *Deutsche Rechtsgeschichte*, I, § 33, Vielheit, und Einheit des Rechtes, p. 256, s.. Glasson, *Histoire du droit et des institutions de la France*, III, § 21, p. 223, s..

(3) Einhard, *Vita Karoli*, 29.

(4) S. Agobardi *Opera*, ed. Baluzio, 14.

quod ad instituta pertineat, inter se parum dissimiles fuisse, ac tantum inferiori ætate rem germanicam rei romanæ præstitisse (1). Ille vero qui, perspectis chartis, præcipue investigavit non solum in Gallia sed etiam in omnibus Imperii Francorum partibus quæ juris romani fortuna fuerit, ad id perducitur ut usum illius juris non ante VII^um^ sæculum senuisse existimet. Sed superest ut videamus quomodo factum fuerit ut juris romani usus tolleretur.

Primum inter Imperii Francorum regiones multæ videntur fuisse e quibus jus romanum quo, regnantibus Merovingis, tot incolæ utebantur ut oporteret formulas aut parte, aut omnino secundum legem romanam conscribi, proximis temporibus recessit. Iis enim regionibus annumerabantur Galliæ nostræ provinciæ quæ a summa antiquitate ad nostram ætatem germanicis consuetudinibus regebantur (gallice : pays de coutumes), Neustria scilicet formularum Marculfi patria, Austrasia Lindenbrogianarum, Burgundia quæ chartas Senonicas et Flaviniacenses in lucem prodidit, Andegavorum et Turonorum civitates ubi lex romana pro *lege terrena* (2) antea observabatur. Cæterum ut appareret quo tempore et quibus gradibus Germanorum consuetudines juri romano paulatim successerint, formulas sub regibus ex stirpe Merovingorum conscriptas recentioribus chartis conferre voluissem, nisi antiquorum monumentorum jactura mihi frustra chartas perquirenti obstitisset quominus efficerem id quod intenderam. Attamen, ut pauca quæ collegi exempla proferam, Turones apud quos præscriptione XXX^a^ annorum fundi VII° sæculo usucapiebantur, annua quoque possessione circa XI^um^ sæculum usos fuisse paulo ante dictum est. Andecavorum vero civitas quæ quondam legem romanam in familia erciscunda observabat, ita ut alodes inter fratres æquis dividerentur partibus, eo Barbarorum more XI° sæculo utebatur ut paternum hæredium primogenito, remotis

(1) Quicherat, *Critique des deux plus anciennes chartes de l'abbaye de Saint-Germain-des-Prés* (*Bibl. de l'École des chartes*, VIe série, I, 1865, p. 554). Rambaud, *Histoire de la civilisation française*, I, 1885, p. 77.

(2) Consuetudo huius loci vel etiam legis terrenæ iustitiæ constat esse prospectum, ut, quicumque ab incendiis vel hostibus seu a latronibus fuerit perpessus dispendium, oportet sibi occasu in foro publico vel civitate cum curia publica et defensore vel reliquis civibus publicare (Sirmond., 28 = Roz., 408).

aliis heredibus, assignaretur. Nec in formulis Andegavensibus is mos reperitur quem posthac eodem sæculo servatum fuisse videmus, ut nullus, nisi adhibito suorum fratrum consensu, fundum alienare posset (1).

Quod multo fiebat aliter in meridianis provinciis quæ, quum e multis sæculis in romanam ditionem redactæ fuissent, et humanitate romana ceteras præstarent civitates, et præcipue a Romanis incolerentur, quasi legis romanæ dominium fuisse videbantur. Itaque, quo tempore quisque lege suæ gentis vivebat, ibi plerique utebantur jure romano, ita ut omnes juris romani codices qui illis temporibus scripti fuerunt, Breviarium scilicet, lex romana Burgundionum et lex Curiensis, et plerique libelli secundum legem romanam, videlicet Visigothici, Bituricenses et Arvernenses, in iisdem regionibus fuissent constituti, nec ullam quidem legis romanæ professionem repererim, præter eas quas chartæ Sanctonum, Bituricorum, Burgundiæ, Viennensis, Septimaniæ, Provinciæ, Rhætiæ, Italiæ mihi suppeditaverunt (2). Hinc denique factum est ut, dum cæteræ provinciæ jus romanum abnuebant, Gallia trans Ligerim, Italia et Rhætia legem romanam, parte saltem aliqua retinerent.

Deinde res germanica adeo crevit, ut quasi nullus locus superesset ubi jus germanicum non polleret, atque inter austrinas ceterasque regiones id tantum interesset quod in illis provinciis, ex juris romani reliquiis, aliæ quidem diutius manserunt, paucæ vero e juris romani clade superstites enataverunt.

Jam enim sub regibus Merovingis, dos secundum legem Ro-

(1) Viollet, *Les Établissements de Saint Louis*, p. 125, s. *Quod ad Burgundiam attinet, si formulis Senonicis et Flaviniacensibus chartas sequenti ætate scriptas contulerimus, idem erit concludendum. Chartæ comitum Vermeriensis, Tornodorensium, Campanensis et Joviniaci,* pro monasteriis S. Colombæ, S. Michaelis Tornodorensis, S. Germani et S. Juliani Autissiodorensium : Quantin, *Cartulaire général de l'Yonne,* 54 (878), 80 (992), 81 (992-1005), 90 (1036), 91 (1038), 92 (1039), 93 (1042), 94 (1046).

(2) *Omnes incolæ villæ nuncupatæ Saorgio in carta donationis pro ecclesia sanctæ Mariæ Lirinensis, professi sunt* ex natione nostra lege uiuere romana (*Hist. patr. monum.*, I, 417, 1092). 1095. Qui professi sumus nos omnes ex natura nostra lege vivere romana, offertores donatores... S. manuum omnium lege vivencium romana testium (*Lérins*, 168), 169 (1092).

manam non exstabat, testamentum vero ita exoleverat ut primum institutio heredis in novissimis testamentis abesset, deinde, prodita suprema hominum voluntate non jam testamentis sed *donationibus ad instar testamentorum* (exemplo sunt donationes majorum domus ex stirpe Arnulforum (1) et Dadilæ comitis (2)), nullum testamentum reperiretur post annum DCCXXXIX (3). Præterito autem VIII° sæculo, paucæ e lege romana sententiæ excerpebantur quæ intexerentur procemiis instrumentorum, *repudii* vero secundum legem romanam et *adoptionis apud gesta* nulla, quod sciam, fit mentio, ac nullum tutorem a judice provinciæ datum invenimus. Nec ulla precaria hoc pacto jam concedebatur, ut, quum liberet concedenti solveretur, nec vetustissimæ clausulæ, *stipulatus est*, *spopondit*, nec *stipulationis aquilianæ* usus manebat. Nulla jam gesta in Langobardia, in Gallia novissima Andegavis anno DCCCIV, Biturici anno DCCCV habita (4), nec *apennes* quidem supersunt, præter illam *plancturiam* (maximum quidem argumentum quamdiu municipalis urbium constitutio perstiterit), quam episcopus Nemausensis X° sæculo fecit, coram defensore et honoratis curiæ. Deinceps, post IX^um^ sæculum, nullum verbum de manumittendi secundum legem romanam modis, quin etiam de manumissione in ecclesia quæ antea sæpe adhibita fuisse videtur (5), de libertinis qui *cives Romani* fierent, *de jure*

(1) Præsens confirmatio *vel* donatio *vel* traditio ad instar testamenti (*M. G., Dipl.*, 4, 706; 11, 722; 12, 726). *Testamentum B. Vigilii episcopi Autessiodurensis pro monasterio domnæ Mariæ, circa a.* 680 (Quantin, *Cartulaire général de l'Yonne*, I, 1854, 8). *Testamentum Gerardi comitis et conjugis Bertæ quo constituunt monasteria Pultariense et Vizeliacense, circa a.* 863 (43). Glasson, *Histoire du droit et des institutions de la France*, III, § 17 (p. 176, s.).

(2) Dom Vaissette, II, 24 (813).

(3) *Testamentum patricii Abbonis. Vox ipsa testamentum donationis cartam significabat.* Ego... facio testamentum... hec donatio firma et stabilis permaneat omni tempore cum stipulatione adnixa (*Sauxillanges*, 222).

(4) Dom Martene, *Scriptorum et monumentorum amplissima collectio*, I, *carta donationis Harwichi an.* 804, *pro ecclesia Prumiensi*, col. 56; *epistola Harwichi ad Aganbertum fratrem suam ut donationem gestis municipalibus allegari jubeat*, col. 57; *allegatio donationis facta gestis municipalibus curiæ Andegavinæ*, col. 58, Bituric., 15 c (Zeumer, p. 176) = Roz., 262.

(5) Siquidem novimus domnum Hludowicum serenissimum imperatorem post decretum Augustorum Constantini atque Teodosii... sanxisse, illos qui ad sacros promendi sunt ordines, a propriis dominis libertatis munus debere

patronatus et *obsequio* (1). Eodem sæculo, ea pacta postremum reperi quæ ad precarias per singula lustra renovandas pertinerent. Decimum post sæculum donationis *ante nuptias* appellatio in desuetudinem abiisse videtur, fideicommissorum id quod Acfredus, Dux Aquitanorum (A. DCCCCXXVIII) dedit, recentissimum (2), nec legis Juliæ de *maritandis ordinibus* ulla commemoratio, neque usquam Falcidia reservabatur (excepta Rhætia, cujus consuetudine Falcidiam fuisse comprobatam e chartis XII^i^ sæculi patet) (3), nec jam cavebatur de iis servorum vitiis quæ ædilium edicto continebantur, nec præscriptionis XXX^a^ annorum ulla mentio refertur. Præterea, XII° sæculo, *stipulatio subnixa* et *stipulatio dupli* in pagis septentrionalibus propemodum obsoletæ, in austrinis minus sæpe chartis adscribebantur. *Precaria* vero appellatio jam insolita (4). Quid ergo

promereri... Quapropter ego... ille episcopus... te famulum meum... ante sacri altaris cornu, in conspectu cleri et plebis frequentia... liberum esse volo civemque Romanum appellari constituo (Form. imper., additam. 2, Zeumer, p. 328). *Chartæ Einhardi, abbatis monasterii sancti Servacii Trajecti ad Mosam, a.* 819 aut 821 (Roz., 76 = Formul. imper., 35, Zeumer, p. 313), *et Adventii, episcopi Mettensis, a.* 855-875 (Roz., 72 *bis* = *Formul. extravag.*, I, 17, Zeumer, p. 544). *Libertas Rainaldi clerici, a.* 876, *ex archivo Ecclesiæ Andegavæ* (Baluzius, *Capitularia,* II, append. actor. veter., 105).

(1) 819. Abbas ab omni jugo servili Benedictum absolvit et ex cujuslibet dominio vel patrocinio aut quolibet obsequio libertinorum eum exemit (Dom Vaissette, II, 49).

(2) Precor... vos... ut de his rebus quas vobis per fideicommissum committo non aliud faciatis, si mors mihi evenerit, nisi... quod... in præsenti pagina scriptum videtur (Baluzius, *Capitularia,* II, append. actor. veter., 136). *Quæ verba fideicommissorum in usu essent* v. Pauli *Sententias,* IV, 1, § 6 (Hænel, p. 398).

(3) Mohr, *Codex diplomaticus, Sammlung der Urkunden zur Geschichte Currätien und der Republik gem. drei Bünde,* I, 144. — Cpr. *hoc testamentum Hugonis comitis Ruthenensis conditum quo tempore jus romanum in Gallia jam resurgebat :* 1176. Hos igitur tres filios meos contentos esse omnimodo volo, quatenus nec ratione falcidiæ, nec aliqua juris occasione in judicium alios (*legatarios scilicet et heredes*) deducere possint (Dom Martene, *Scriptorum et monumentorum amplissima collectio,* I, col. 898, D).

(4) *Hoc loco non erit alienum inter eas regiones in quibus invaluerit usus* wadiæ *et* festucæ (*quas non unam et eamdem rem fuisse Germaniæ eruditos docet Thévenin, Contributions à l'histoire du droit germanique,* § 3, *Nouvelle revue historique de droit,* 1880, p. 69, s.), *nonnullas commemorare, argumenta ex antiquis monumentis sumendo : 1° Pagum Alsacinsem :* 1303. Resignatione adhibita, que vulgariter gallice dicitur FECHTUAR (Trouillat, *Monuments de l'his-*

XII° sæculo, eversa tota fere juris antiqui mole, emerserat, nisi scripturæ solennitas atque aliquot pacta recepta usu antiquissimo?

toire de l'ancien évêché de Bâle, III, 31). L'abbé Hanauer, *Prise de possession d'un village seigneurial de l'Alsace en l'année 1728* (*Revue historique de droit français et étranger,* XII, 1866, p. 84, s.), *villa per glebam et per ramum tradita fuit.* — 2° *Burgundiam,* Pérard, *Recueil de pièces servant à l'histoire de Bourgogne, ex chartul. Patriciac.,* 5 (840, p. 25), *mandatum* per quadium; 11 (836, p. 32), cpr. p. 65 (952), *werpitio* per festucam; 13 (anno IV Pipino rege, p. 34); *werpitio* per suum wadium, 14 (868, p. 34), *promissio* per wadium. X° sæc. Hanc donationem fecit... per suum cultellum et facturam et per hoc pergamenum (p. 64). Quantin, *Cartulaire général de l'Yonne,* I, introd., p. XI, II, introd., p. LXXXIV. *Traditiones per wadium :* I, 162 (1130), per lapidem super altare; 307 (ante 1150), per librum super altare. — 3° *Pagum Carnutenum,* Guérard, *Cartulaire de Saint-Père,* I, prolég., § 222, s. (p. CCXXIV), per cultellum super altare (1119), per ramum super altare (1038), per virgam (1130-1149), per baculum (1116-1129). — 4° *Armoricam,* de Courson, *Cartulaire de l'abbaye Saint-Sauveur de Redon,* prolég., p. CCXLVI, s., per cespitem super altare, per ramum, per virgam, per cultellum. — *Quod ad austrinas regiones attinet,* v. *Beaulieu,* introd., p. 92, s., per glebam, per ramum, et P. Reymond, *Cartulaire de l'abbaye de Saint-Jean de Sorde,* 1072-1105. Firmaverunt donum mittentes missal super altare (17, 22, 25, 57, etc., XII° sæc.; 157, 1250).

EPILOGUS.

Quanta vi et quamdiu juris romani usus, everso Imperio, viguerit testimonium ex antiquis formulis et chartis, quantum potui, accurate et minutatim exploratis excitare conatus sum. Nunc, priusquam de opere manum tollam, necesse mihi videtur ut ea breviter contraham atque in capita pauca redigam quæ ex hac dissertatione efficiuntur. Scio equidem ac libente animo fateor, inter ea quæ propositurus sum, nonnulla reperiri quæ jampridem ab aliis auctoribus expressa atque pervulgata, quum, allatis, ut mihi visum est, novis argumentis illibatisque documentis confirmarem, rei in commune profuturæ laborem impendisse arbitror :

1° Primum formulæ secundum legem romanam, quanquam duobus vel tribus sæculis postea proditæ fuerunt quam Imperium Occidentis corruit, atque adeo sermonis rusticitate inquinatæ videantur ut ex iis nonnullæ vix possint intelligi, ipsarum tamen populi romani formularum stylum atque effigiem præ se ferunt.

2° Deinde, quum nullum idoneum argumentum afferatur quo possit probari jus justinianeum in Imperio Francorum notum fuisse, iis solummodo legibus formularum scriptores usos fuisse judicavimus quæ in Imperio Occidentis servabantur. Breviarium autem juris romani præcipuum fontem fuisse ex eo apparet, quod inter leges romanas quæ in formulis et in chartis proferebantur, nulla fere e vetustioribus codicibus deprompta videtur fuisse, paucæ vero ex recentioribus codicibus, videlicet e lege romana Burgundionum, e Breviarii epitomis atque e lege Curiensi repetebantur. Interpretatio autem Breviarii adeo legis munus explevit ut, neglectis ipsis romanis legibus, eam solam formularum et chartarum auctores adirent.

3° Hoc vero summopere mirandum est quod lex romana, præteritis multis sæculis postquam Imperium est collapsum, summam apud animos, quamvis barbaria obcæcatos, servavit auctoritatem ac maxima veneratione colebatur. Attamen, licet is qui chartas perlegit legum romanarum notitiæ incondita atque ridicula ostentatione offendatur, revera quædam turpis scripti juris ignoratio in illis temporibus inerat, unde fiebat ut et leges et juris Quiritium instituta perperam sæpissime adhiberentur. Usum autem juris romani adeo legi scriptæ auctoritate præstitisse vidimus, ut pro ipsa scripta lege custodiretur.

4° Denique juris romani et juris germanici contentio quam fuerit longa et anceps, quas vices habuerit ex formulis et instrumentis comperimus. Primum diversæ leges inter sese ita coaluerunt ut et jus novum mixtum e romanis et germanicis partibus oriretur, et quisque non solum suæ nationis lege, verum etiam aliena lege uteretur, et postremum quædam pagorum consuetudines ex illo jure mixto constarent. Deinde jus romanum, post Merovingorum ætatem, paulatim e septentrionalibus detrusum, fere omnino exolevit.

Vidi ac perlegi, Lutetiæ Parisiorum, in Sorbona.

A. D. III nonas Junii ann. M DCCC LXXXX.

Facultatis Litterarum in Academia Parisiensi Decanus,

A. HIMLY.

Typis mandetur :

Academiæ Parisiensis Rector,

GRÉARD.

INDEX.

Pag.

INDEX OPERUM HIC SÆPISSIME LAUDATORUM CUM NOTARUM EXPLANATIONE 1

PROŒMIUM 3

CAPUT I. — Quid formulæ secundum legem romanam formulis populi Romani debuerint? 17

1° Quæ sint communia formulis 22

I. Carta et notitia 22

II. Clausulæ generales 24

2° Quæ sint cuique formulæ peculiaria 30

I. De testamentis 30

II. De contractibus et traditionibus 34

III. De gestis municipalibus 42

CAPUT II. — Quos legum romanarum libros formularum secundum legem romanam scriptores adiisse videantur? ... 46

1° Juris antejustinianei codices 46

I. Antiquissimi legum codices 46

II. Lex romana Visigothorum 48

III. Codices recentiores 51

2° Num formularum auctores Justinianeis libris usi fuisse videantur? 56

Pag.

CAPUT III. — Quæ legis romanæ notio temporibus illis haberetur ex formulis depromendum est..... 63

1° Quam formularum secundum legem romanam scriptores jurisprudentiæ romanæ essent imperiti..... 65

2° Juris romani usus in formulis exstat..... 75

CAPUT IV. — Ex formulis et instrumentis videndum quomodo res se habuerint inter jus romanum et jus germanicum. 85

1° Jus romanum et jus germanicum miscentur..... 88

I. Jus novum quum romanum tum germanicum constituitur..... 90

II. Romani jure germanico, Barbari jure romano utuntur. 97

III. Pagorum consuetudines ex jure romano et ex jure germanico mixtæ..... 104

2° Jus romanum paulatim ereptum..... 105

EPILOGUS..... 111

BARRÆ DUCIS. — EX TYPIS CONTANT-LAGUERRE.

ADDENDA.

Adolphe Tardif, *Histoire des sources du droit français*, Origines romaines, 1890, liv. III, chap. VI, le droit romain dans les recueils de formules mérovingiennes et carolingiennes, p. 171-177; chap. VII, le Droit romain dans les diplômes et chartes des deux premières races, p. 178-182.

P. 4, n. 2. — Breslau, *Der Titel der Merowinger Könige* (*Neues Archiv*, XII). Pirenne, *La Formule N. rex Francorum v. inl.* (*Comptes-rendus de la commission royale d'histoire de Belgique*, 4e série, XIII). J. Havet, *Compte-rendu critique* (*Bibliothèque de l'École des chartes*, XLVIII, 1887, p. 127). J. Havet, *La donation d'Etrépagny* (*Bibliothèque de l'École des chartes*, LI, 1890, p. 217, 231, 233).

P. 8, n. 4. — Conrat, *Zur lex romana Curiensis* (*Zeitschrift Savigny*, X, german. Abtheil., p. 239).

P. 19, n. 1. — *Bullettino dell' Istituto di Diritto Romano*, I, 1888 : Scialoja, *Nuove tavolette cerate pompeiane*, p. 5; Alibrandi, *Sopra una tavoletta cerata scoperta a Pompei il 20 settembre 1887*, p. 16. Hoc denique videndum est quod, quum ad præcipuas legum romanarum et juris romani usus reliquias colligendas inchoatum volumen nuperrime ad finem perduceret, de tabulis Pompeianis scribebat Girard, *Textes de droit romain*, 1890 (IIIe partie, les actes), p. 704, s., 731, s.

P. 90, n. 2. — A. Tardif, *Histoire des sources du droit français*, liv. III, chap. V, le droit romain dans les lois Salique, Ripuaire et Gombette.

P. 92, n. 1. — *De verbo* ambascia v. D'Arbois de Jubainville, *De quelques termes du droit public et du droit privé qui sont communs au celtique et au germanique* (*Nouvelle Revue historique de droit*, XIV, 1890, p. 709).

P. 97, n. 7. — Fustel de Coulanges, *L'alleu et le domaine rural pendant l'époque mérovingienne*, 1889, p. 344.

EMENDANDA.

P. 8, l. 3 : VI° sæculo.

P. 12, l. 8 : Lirinense.

P. 15, l. 23 : quas, l. 24 : inductas; l. 26 : diversas.

P. 21, l. 9 : officio.

— l. ult. : *Biturici.*

P. 30, l. 11 : quæ.

P. 42, l. 12 : vel ejus procurator.

P. 44, l. 11 : curialis.

P. 46, l. 13 : eversum esset.

P. 64, l. 11 : vocare.

P. 105, l. 15 : quos.

BAR-LE-DUC, IMPRIMERIE CONTANT-LAGUERRE.

LUX VITAE